


STATUTA Collegij Hispanorum Bononiæ.



Bononiæ Antonius Giaccarellus, & Peregrinus
Bonardus socii Excudebant. M D. LVIII.

1558



12404465

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO.
D. D. Petro Pacheco S. R. E. Tit. S. Balbinæ Presby
tero Cardinali Episcopo Seguntinorum, sacri Col
legij Hispanorū protectori. Io. Gasias Brignē
sis, prædicti Collegij, & Vniuer. Arti
starum Bonon. Rector
S. P. D.



VIT Collegiū hoc nostrū amplissime præsul Bononiæ institutū, ut
scis, ante Annos. CC. ab Illustrissimo Card. Albornotio, cuius multa
extāt in S. R. E. merita, nam cū legationes in Italiam a Pōtificibus
missus summa cum potestate obiret (tunc enim in ea parte Gallia cō-
federant quæ Prouincia dicitur) tyrannis, ac Regulis eripiendo, quæ
per uim occupant, & improbos, ac seditiosos homines ulciscendo
pacatam, usq; adeo Italiæ Regionem hanc, & Galliam Togatam, quæ
huic adiacet, reddidit, ut in qua bellum ubiq; ardebat, dulcissimū pa-
cis nomen passim exaudiretur. Tu Illustrissime Cardinalis cum tu-
tor sis hoc tempore Collegij huius, non dubito, quin pro tua singulari benignitate, quacumq;
re opus fuerit, ipsius commoda, & dignitatem augere uelis, ut pote qui uideas singulis annis
hinc existere doctissimos viros, qui Hispaniæ totius ueluti quædam lumina sunt, certissima
enim iam nobis dedisti argumenta tuæ præclaræ erga nos voluntatis, inter quæ & hoc clarum
est, quod, cum primum tibi exposui, quia legum earum (statuta uulgo appellant) ex quarum
præscripto in Collegio uiuimus, volumina, quæ antè multos annos impressa fuerunt, omnia
usu longoq; tempore consumpta erant; nec eas legendi, aut inspiciendi copia poterat, nisi fie-
ri, qui in Collegium recipiuntur, fraudq; uidebatur fieri decreto Cardinalis Albornotij, qui id
nominatim sanxit, ut quilibet exemplum unum haberet priuatim, quod leges omnes facilius
perdiscere posset, & ipsis parere; aut etiam, quando ita tempus tulisset, ut Rector Collegij al-
quis creatus, siue Consiliarius cæteros scienter regere posset, atq; in officio continere; necesse
omnino esse, ut rursus imprimeretur, idq; paulo antequam obiret extremum uitæ diem, mihi
ut facerem mandasse Cardinalem Compostellanum collegam tuum, qui Collegij nostri tutor
erat. Tu quoq; pro tua singulari humanitate idem nobis concessisti, & Collegæ tui mortui sen-
tentia comprobasti, ac ratam fecisti. Id igitur cum omni cura, ac diligentia effecerim atq; alias
etiã oēs, quæ ex eo tēpore postquā volumina illa fuerat impressa, leges latæ sūt atq; cōfirmate,
adiūxerim; eas tuo nomine imprimendas curauim; lætorq; a te tali, ac tanto auctore cōprobaras;
magnam enim habebunt uel ob hoc ipsum uim, quod te eas sanxisse omnes intelligent. quo
nullus aut melior, aut iustior, aut magis doctus, & intelligēs reperiri potest. Cū ipse IMPER.
idemq; Hispaniæ Rex noster CAROLVS. V. (quem honoris causa nomino) sæpe tibi
negocium de maximis rebus dederit, ac Regni Neapolitani administrandi muneri te uoluerit
periculosus temporibus esse præpositum, nuncque Romæ Sanctiss. ac sapientiss. Pontifex.
Max. PAVLVS. IIII. omnibus in rebus agēdis tuo in primis utatur cōsilio, & opera. Quæ
ideo a me hoc tempore recensentur, ut omnes intelligant, qualem nobis tutorem Collegij no-
stri fors dederit. Quicquid autem honoris, aut commodi ad nos ex his legibus accesserit, id to-
tum tibi erit acceptum ferendum. Vale. Bononiæ. Calendis Martijs. M. D. LVIII.

Bononiæ Antonius Giscarrillus & Peregrinus
M. D. LVIII



FRANCISCVS

miseratione diuina tituli sanctæ Cru-
cis in Hierusalem S.R. E. Præbyter cardinalis

de Quignones nuncupatus, Collegij Hispanorum

Scholasticorum a' bo. me. Aegidio Albornotio

Episcopo Sabinensi sanctæ Romanæ

Ecclesiæ Cardinali,

ac totius Italiae Legato, Bononiæ conditi protector,

Venerabilibus uiris Rectori, & Collegialibus

eiusdem Collegij Salutem.



VM TANTA SIT RERVM, AC NE-
gociorum, quibus hominum uita continentur im-
plicatur, uarietas, & commutatio, ut recte a' qui-
busdam prudentibus uiris traditum sit plura esse ne-
gocia, quam uocabula, nulli mirum uideri debet si
nouis subinde legibus quædam a' principibus, pru-
dentibusq; uiris sanciantur: rursusq; leges nonnullæ, quæ prius pla-
cuerunt, rebus, aut hominum ingenijs commutatis antiquentur, ut
in magnis mortalium catibus, quæ ciuitates dicuntur, sic in minori-
bus, qualia sunt, quæ Scholasticorum collegia nuncupantur, quod
isti uestro collegio nostis nihilosecius, quam alijs accidisse, cuius in-
stituta initio a' prudentibus uiris, & bonæ memoriæ Fernando Al-
bornotio Archiepiscopo Hispalensi, & Petro Toletano Episcopo Oxo-
mensi, atq; Alfonso Archidiacono Toletano, qui ædes quoq; Colle-
gij ultimam bonæ memoriæ Reuerendissimi Domini Aegidij uolun-
tatem secuti, ac ipsius sumptu ædificandas, dotandasq; curarunt, con-
dita fuerunt eiusdem per codicillos testata uoluntate, & deinde an-
no scilicet. M. CCC. LXXVII. a' Petro de Frias Episcopo Con-
cheniensi, tunc Marchiæ Anconitanæ rectore generali recognita, & Apo-
stolica felice recordationis Gregorij Papæ. xi. autoritate confirma-
ta, tum a' nonnullis Reuerendis. Cardinalibus eiusdem collegij pro

Apostolica

A ij

II
tectoribus, ob eam; quam diximus, rerum, ac temporum uarietatem
interuallis itidem reformata sunt, & confirmata autoritate Aposta-
lica a felice recordationis Pontificibus maximis. Innocentio octauo
& Alexandro sexto Iulio secundo, Leone decimo tradita, quorum col-
legij protectorum exemplum nos secuti, & ratione temporum, atq[ue]
rerum adhortante, uobisq[ue] ipsis petentibus ad idem officium Colle-
gio uestro præstandum a Sanctissimo Domino nostro Paulo Papa ter-
tio litteras impetrauimus, quarum subiecimus exemplum, a tergo
hæc erat inscriptio. Dilecto filio nostro Francisco tituli sanctæ Cru-
cis in Hierusalem Præsbytero Cardinali; intus uero hoc exordium,
Paulus Papa tertio, & sub sequebatur. Dilecte fili noster salutem, &
Apostolicam benedictionem. Cum sicut nuper nobis exposuisti, tu,
qui Collegij scholarium sancti Clementis nuncupati Bononien. pro-
tector existis, propter continuam assistentiam, quam ratione officij
Cardinalatus nobis facere teneris, & facis, collegium prædictum per
te uisitare nequeas, ipsumq[ue] collegium, & eius personarum aliqua corre-
ctione, & reformatione indigeant, nos ut collegium ipsum sub tua pro-
tectione, cum odore bonæ famæ conseruetur, ipsiusq[ue] personarum (ut par-
est) exemplariter uiuant, tuis in hac parte supplicationibus inclinati,
circumspectioni tuæ, ut per te, uel alium, seu alios, idoneum, uel ido-
neos, quem, uel quos ad id duxeris deputandum, uel deputandos, col-
legium, ac personas huiusmodi, quoties tibi expedire uisum fuerit,
uisitare, & quæ correctione, & reformatione indigere repereris, corri-
gere, & reformare: ipsiusq[ue] Collegij tam noua, quam uetera qua-
cunq[ue] rationabilia statuta, & ordinationes confirmare, & si quæ, illo-
rum tenoribus diligenter inspectis, moderatione, uel reformatione
indigere cognoueris, moderari, & reformare, & si necessarium, uel op-
portunum duxeris, etiam alia rationabilia, & honesta, ac pro iurium
Collegij & illius personarum prædictarum conseruatione utilia statu-
ta, & ordinationes adere, & ordinare: omniaq[ue], & singula alia, quæ
ad protectores officium de iure, uel consuetudine, & alias quomodo-
libet pertinent, facere, & exercere, ac contradictores quoslibet, & re-
belles per censuras, & pœnas ecclesiasticas appellatione postposita com-
pescere, dummodo quo ad ea, quæ statutorum, & ordinationum præ-
dictorum moderationem, & reformationem, ac nouam additionem
concernunt dicti Collegij, uel ipsius maioris partis expressus accedat
assensus, plenam, & liberam auctoritatem, & facultatem concedimus
per præsentem. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus
Apostolicis,

Apostolicis, ac dicti Collegij iuramento, confirmatione Apostolica, uel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, quibus eorum tenores eisdem presentibus, ac si de uerbo ad uerbum inferentur, pro expressis haberi uolentes, hac uice duntaxat, specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque uolumus, aut quod si contingat te aliquem pro prouisione prædicta deputare, & de competenti mercede expensis illorum, quos uisitatione indigere compertum fuerit, satisfiat. Dat. Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die. vi. Iunii. M. D. XXVI. Pont. nostri anno secundo. In fine uero literarum, seu breuis huiusmodi subscriptio erat. **Blosius.** Quibus quidem literis Apostolicis cum debita humilitate, & reuerentia acceptis. Cupientes pro suscepto nobis patrocinio studijs, ac commoditatibus uestris consulere. Cum intelligeremus aliqua esse in ipso collegio reformanda, ut iniuncto nobis officio satisfaceremus, non solum per nos ipsos personaliter uos uisitauimus, sed postea quandoquidē id nos personaliter exequi non ualebamus, nonnullos uiros doctos & graues diuersis temporibus in Vicarios, & Commissarios, uestrosque uisitatores speciales, & generales auctoritate Apostolica creauimus, & solenniter ordinauimus, ad uosque misimus: & mandantes, & præcipientes eisdem, ut uice, & auctoritate nostra, immo uerius Apostolica uos, uestrumque Collegium (ut moris est) uisitare, & super his, quæ inquirenda essent, inquirere, & ubi necessarium fuerit corrigere, & reformare, tam in capite, quam in membris, uestrique Collegij statuta, & ordinationes confirmare, & si opus esset de nouo approbare: ac, si quæ illorum tenoribus diligenter inspectis, correctione, immutatione, uel limitatione indigere cognouissent, limitare, & emendare, ac in toto, uel in parte immutare, & alia rationabilia, & honesta, atque pro iurium uestri Collegij, uestrarumque personarum conseruatione utilia, & opportuna, seu necessaria ædere, & ordinare; illaque iuxta eorum tenores obseruari, atque omnia alia, & singula, quæ ad uisitatoris officium de iure, uel consuetudine, uel aliàs quomodolibet pertinent, facere, & exercere, libere, & licite ualerent: contradictores quoslibet, & rebelles per cēsuras, & pœnas ecclesiasticas appellatione postposita compescendo, dummodo quo ad statutorum, & ordinationum prædictorum correctionem, limitationem, emendationem, immutationem, aut de nouo æditionem, & ordinationem expressus uestri collegij, uel maioris illius partis accederet assensus, plenam, & liberam, auctoritate Apostolica, atque uigore literarum Apostolicarum in forma breuis nobis con-

D I S T I N C T I O

cessarum, uidelicet die. vi. mensis Iunij. M D. XXXVI. anni Pontificatus sanctissimi in Christo patris Pauli diuina prouidentia Papæ. iiii. anno secundo, facultatem, & auctoritatem in supradictis omnibus, & per omnia, quemadmodum nobis tributa est, concessimus. Non obstantibus omnibus, & singulis, quæ præfatus Dominus Papa in dictis literis non obstare uoluit. Qui quidem uisitatores ad uos missi cū in urbem Bononiam, uestrumque collegium uenissent, cum alia, quæ officij sui, atque fidei esse duxerunt, curarunt, tum illud imprimis uobis petentibus, ut statuta uestri Collegij, in quibus non pauca uos desiderare dicebatis, disponerent, corrigerent, & qua parte opus esset, etiam auerent. Adhibitis igitur quibusdam uestrum uiris doctis, & prudentibus quædam rescarunt, quædam addiderunt, partem etiam ex integro sanxerunt, plerisque tamen retentis, quæ olim a grauissimis & prudentissimis uiris conuenienter uoluntati Reuerendissimi, & amplissimi patris, ac Domini Aegidii Albornotii conditoris Collegij sancta, nulla ratione mutanda esse uisa sunt. Quæ omnia, & singula supradicta uobis approbantibus, hoc est Collegio consentiente confecta, quemadmodum in hoc uolumine continentur, auctoritate Apostolica qua fugimur in hac parte, confirmanda, approbandaque duximus, prout nunc confirmamus, & approbamus, roburque in perpetuum habere decernimus, atque ut his statutis, & non aliis istius Collegij omnes, & singuli collegiales, capellani, officiales, qui sunt, & erunt, & quicumque alij, quos attingunt ea, uel attingere quoquomodo possunt in futurum, tam coniunctim, quam diuisim utantur, eademque teneant, & obseruent, ac ut ab aliis, quantum ad quemque pertinebit, obseruari curent, nec alia facere temere inducant animum absque sedis Apostolice auctoritate, & expresso Collegialium, ac nostri, uel protectoris Collegij, qui tunc temporis erit, consensu, eadem auctoritate iubemus, atque decernimus, iureiurando de prioribus statutis seruandis præstito, ac aliis quæ dominus noster Papa in suis literis uoluit non obstare, non obstantibus quibuscumque. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium prædictum, hoc uolumen statutorum quadraginta quatuor chartis impressis impegimus, ac ædidimus, & sigillis magnis nostri, & eiusdem Collegij obsignari fecimus, complectendo chartas omnes chordis rubea, & uiridi, quibus sigilla pendent, nosque ad principium, & finem eiusdem uoluminis nomen nostrum, nostra manu subscripsimus, & Secretarium nostrum, & Notarium Collegij, & testes infrascriptos de omnibus, in eo uolumine contentis, & statutorum correctione,

correctione, reformatione, ædificatione, Collegij consensu rogauimus,
 & requisuimus. Dat. & actum Bononiæ in ædibus eiusdem Colle-
 gij Hispanorum sancti Clementis in Camera Rectoris. Anno.
 M. D. XXXVIII. Indictione undecima, Die uero decima mensis
 Aprilis, Pontificatus sanctissimi in Christo patris, & Domini nostri
 Pauli diuina prouidentia Papæ. i i j. anno quarto. Præsentibus ibidẽ
 & consentientibus Domino Petro Rodriguez, Rectore, ac iuris
 utriusq; Doctore, necnon cæteris omnibus eiusdem collegij, qui Bo-
 noniæ aderant, collegialibus, uidelicet Ioanne Baptista Hoieda .I.V.
 Doctore, Petro Gumiel iure pontificio Doctore, Alvaro Castillo ar-
 tium, & philosophiæ Doctore, Melchiore Sarauia, Raymundo Lan-
 cis, Gomezio Salazar, Ludouico Alvaro Noguera, Francisco Villa-
 nueua, Ioanne Scobar, Petro Laguna, Georgio de la torre, Ioan-
 ne Cumillas, Alphonso gueuara, Francisco sancta Crux, Ro-
 derico Guttierrez alferrez, Alphonso Cauallero, &
 Antonio ualderas, Absentibus uero hoc tem-
 pore Laurentio Polo .I. V. Doctore,
 Domino Paternina, & Fran-
 cisco Ramirez.



F. CAR. ^{lis} S. ✠. PRO. ^{tor}

APPROBAMVS, ET CONFIRMAMVS.

P R I M A D I S T I N C T I O .



Rima distinctio in qua agitur, quomodo domus & sacellum, siue capella collegij appellari debeant; & de capellanis, ac eorū qualitate, electione, siue admissione, & iuramento præstando, cubiculorum assignatione, uictu, salario, siue subsidio eis præstādo; de ipsorū, atq; sodalium officio erga diuinum cultum præstando, ac uicissim negligentia, & correctione, ac ipsorū in collegio permanēse, expulsionē, ac de alijs id genus.

S T A T V T V M P R I M V M .

Quod Collegium domus Hispanorum, & ipsius sacellū nomine sancti Clementis nuncupetur.

IN primis uoluntatem D. Aegidii Albornotij Collegij conditoris, de qua satis constat, sequentes, Statuimus, ut domus hæc, siue insula Bononiæ sita, in uia, quæ Saragozæ dicitur, iuxta fanum sanctæ Mariæ de Muradellis, domus, siue Collegium Hispanorum nuncupetur: & Capella, seu sacellum intra ipsum ædificatum nomine sancti Clementis Papæ, & martyris, cui dedicata est, uocetur.

S T A T V T V M S E C V N D V M .

Quot capellani, & quales, & cuiates esse debeant, & a quo deligi, atq; admitti, & de iuramento in admissione ab ipsis præstando.

Item Statuimus, ut in collegio semper sint quatuor capellani natione Hispani, si possint apti, & idonei reperiri, idest honestæ uitæ, probæ, & legentes, & cantantes, ad cuius rei experimentum antequam admittantur, quindecim saltem dies Bononiæ commorentur, & in sacello sacris ministrent, & missas aliquot canendo: & sepius coram Rectore & sodalibus celebrent: tunc de moribus, & utrum apti, & idonei sint, stetur iudicio rectoris & consiliariorum, a quibus sunt eligendi. Sin autem Hispani tales non reperientur, undecunq; admittantur, qui sint uitæ honestæ, atq; idonei, dummodo non sint quoquomodo, aut fuerint fratres, siue monachi cuiusuis ordinis, uel canonici regulares, & afferant a suis præsulibus literas, quæ dimissorie dicuntur, & facientes fidem posse ipsos celebrare. Rector autem & consiliarij alios, aut secus deligentes sint ipso facto Periurij, & talis admissio sit irrita, & inanis, qui capellani postquam

Per.

quam idonei fuerint comperti, antequam assumantur, iurabunt in manibus rectoris tactis sacrosanctis euangelis corā consiliarijs, uel horum maiore parte, se omnia statuta collegij adita, & adenda ad ipsos spectātia diligenter seruaturos, & iā adita a' diæ suæ admissionis intra mensem perlegere curaturos: & ipsi rectori in licitis, & honestis obtēperaturos, ac eundem obseruaturos, nec horum statutorum obrogationem, seu mutationem unquam per se, uel alium modo aliquo quaesituros, nec huic rei cōsensuros; requisitos porrò iura & libertatem collegij tutaturos, & quamdiu in collegio permanebūt, quæcunq; cognouerint ualde illi nocitura, quam citissime, commodissimeq; poterunt, nulla cuiusquā consanguinitatis, affinitatis, odij, amicitiaue, gratia, uel fauoris, habitatione fideliter indicaturos; & nisi iura sua, uel suorum tuerentur, nunquam contra collegium, nec contra posteros, & gentiles. D. Aegidij Albornotij, aut ipsorum dignitatem, uel cōmoda quidquā facturos per se, uel per alios, aut molituros: nec ad id cuiquam, auxilium, uel fauorē præstituros. Itaq; nisi huiusmodi iureiurando dato, ut nullum capellanum admittāt, Rectori, & consiliarijs proposita pœna periurij, & medietatis subsidij illius anni præcipimus: & nihilosecius teneantur admissi sic iurare, quod si recusauerint, pellantur a' collegio.

STATVTVM TERTIVM.

Quod Capellani cōmunem uitam cū sodalibus agāt nō tamen sint mēbra quasi corporis collegij, ac de eorū prouisiōe, & subsidio.

Statuimus ut capellani uitam communem habeant cum sodalibus in uictu cubiculis, & eorum supellectile, ut inferius cauebitur, sed tanquā corporis Collegij membra, non habeantur, etiam si fuerint Hispani: neq; ad actus, siue conuentus sodaliū publicos admittantur, habeātq; pro subsidio singuli libras quindecim Bononienses, in singulos annos, tribus æquis solutionibus, scilicet initio studij, & in festis Natalis, ac resurrectionis Domini nostri Iesu Christi faciendis. Ante quos terminos, & ultra tertiam partē in quolibet termino dari ne liceat, nisi si quis discedere uellet: tunc enim licebit pro rata temporis parte, quo seruierit in collegio, salarium tribui discedenti. Dantem uero, & recipientem cōtra huiusmodi decretum pœnam Periurij incurrere uolumus. Habeat etiam quilibet capellanorum singulis annis olei, uel candelarum libras uiginti quatuor ad uigilias, & lucubrationes quemadmodum sodales: & si quis eorum in sacra Theologia magistri, uel in altero iure Doctoris gradum in Bononiensi collegio Doctorum acceperit, ad tubas, atq; bellaria suggerat ei collegium libras quatuor Bonon. & si quos uoluerit

inuitare intriclinio, seu refectorio collegij suis expensis Rector, si ei, uidebitur, præbeat ipsi panis ad unam corbem, uini usq; ad duos.

STATVTVM QVARTVM.

Quomodo capellani se debeant habere circa diuinum cultum, ferijs, & diebus solennibus.

STatuimus, & sancimus, ut capellani in sacello diuinis officijs continenter seruiant, quorū duo saltem singulis diebus missam celebrēt, unus uidelicet prima luce, missam mortuorū pro animis D. Aegidij nominatim & eius consanguineorum, præterquā in diebus solennibus, quibus missa eadem de festo quod agitur, celebretur, facta tamen commemoratione pro dictis animis, & ea hora hæc missa inchoetur, ut ante tempus intrandi ad lectiones ordinarias compleatur: alter uero hora tertia, cū sodales a lectionibus ordinarijs communiter reuertuntur missam secundam diei officio conuenientem celebret, itaq; bini alternis hebdomadis diuina officia peragant, alter alteri subministrantes. Si uero tres ex capellanis, uel omnes quatuor uellent quotidie celebrare, pietatem eorum in domino commendamus, in festis uero duplicibus maioribus, uidelicet Natalis domini cū duobus diebus sequentibus, circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, Corporis Christi, & in quatuor festis beatæ Mariæ, & in ipsius cōceptione, natiuitatis Ioannis Baptistæ, beatorum apostolorum Petri & Pauli, Beati Iacobi hispaniarum custodis, quatuor Doctorum Ecclesiæ, dedicationis, s. Michaelis Archangeli. Omnium sanctorum, sequenti die Mortuorum. Beati Clementis papæ & martyris. Beati Nicolai confessoris. Beatarū Catherinæ uirginis & martyris. Mariæ Magdalenæ. Beati Blasii martyris, & sanctorum Eugenij decimoquinto Nouembris, & Alfonso uigesimo tertio Ianuarij archiepiscoporum Toletanorum, omnes capellani simul uespertinas preces, hora cōgruenti, in uigilia, & matutinas ante diem, in hyeme, in æstate post cœnam canere teneantur, missam quoq; ad horam tertiam cū apparatu solenni, Diacono, & subdiacono, atq; cū cantu solēniter celebrare, & uespertinas preces eodē die, hora, & forma consuetis, quibus diebus prouideat Rector, ut dum missa solenniter celebratur, sit aliquis clericus in choro qui psallat cum quarto capellano. Cæteris uero diebus festis, quæ Bononiæ celebrantur à labore cessando, missam hora tertia, & uespertinas preces ipso die, & hora conuenientiore totum diuinum officium solēniter, sicut fit in ecclesiis, quæ dicuntur collegiales celebrare.

S T A T V T V M Q V I N T V M . 2

De Missa Pacis, & exequijs anniuersarijs celebrandis, & cui oblationes in sacello factæ debeant attribui.

Item sancimus, ut decimaquinta die Ianuarij singulis annis Capellani omnes in sacello collegij missam pro pace, & concordia sodalium, & cōseruatione collegij nominatum, & solenniter omnino celebrare teneantur, & in ea præcari pro collegij statutorum reformatoribus, eiusdemq̄ benefactoribus. Item uolumus, ut semper in uesperis uigesima tertia die mensis Augusti, qua dominus Aegidius ex hac uita migravit, & postridie in missa in sacello pro ipsius anima anniuersariæ exequiæ solenniter singulis annis celebrentur, quatuor duntaxat cereis facibus lucentibus, qua die quilibet capellanus totum officium mortuorum pro ipsius Aegidij, & cōsanguineorum animis dicat, & anniuersarijs exequiis, quæ singulis annis eadem die uesperis, & postridie in missa celebrantur, intersit. Item singulis annis in sacello collegij die penultima Decembris uespertinis precibus, & postridie in missa anniuersariæ exequiæ pro anima D. Petri de Frias Cardinalis Hispaniæ nuncupati a capellanis celebrentur, oblationes uero si quas sodales, ac domestici collegij, & quicumq̄ alij in quibuscunq̄ diuinis officijs offerent in sacello Collegij, parochiali ecclesiæ, intra cuius fines collegium est situm, uolumus attribui.

S T A T V T V M S E X T V M .

Cui ornamenta sacelli, & reliqua supellex ad officia celebranda debeant consignari, & per quem apparari.

Item ut diuina officia probe administrantur, atq̄ sacra rite patrētur, Statuimus, ut uni ex capellanis, cui Rectori, & consiliarijs uidebitur, ornamenta omnia sacelli, libri, calices, & patenæ, & omnis reliqua supellex a Rectore, & consiliarijs consignentur per authenticum inuentariū: qui capellanus omnia, & singula diligenter custodiat, & pro ratione dierum, atq̄ festorum paret, atq̄ tradat, seu quemadmodum rector ei duxerit iniungendum; iurabitq̄ idem capellanus se a finibus Bononiensibus, sine licentia rectoris, antequam omnia sibi consignata ipsi, & consiliariis consignauerit, & per idem inuentarium plenam de omnibus rationem reddiderit, non discessurum. De quo iuramento fiat scriptura publica, & in archa, siue in armario communi cum inuentario prædicto seruetur: poena Periurii rectori, & consiliariis, imminente ipso facto, si in his rebus fuerint negligentes.

STATVTVM SEPTIMVM.

De pœna Capellanorum qui diuinis officijs non interfuerint, ac de eorum defectibus supplendis, & quod nullũ officium habere possint, per quod impediatur ministerium sacelli.

ITē statuimus, ut si quis capellanus nō interfuerit omnibus officijs, ut supra diximus, atq; anniuersario, quod singulis annis uigesima quarta mensis Augusti uesperis, & postridie in missa, quæ in ecclesia sancti Iohnis de Monte, pro anima D. Aegidij Albornotij celebratur, iusta causa cessante, de qua fidem Rectori faciat saltem per proprium iuramentum, aut circa prædicta officia administranda rectori quoquomodo nō paruerit, portione communi careat illo die, pane solummodo alendus, & aqua, uel aliter arbitrio Rectoris, & consiliariorum puniatur. Item si quis eorum celebrationi, ad quam tenentur defuerit, unus Carlenus de proprio salario eidem pro qualibet uice subducatur, & alteri presbytero, qui ea die, uel postera loco ipsius deficientis celebret cōferatur: qui si facile reperiri non possit, pauperibus pro anima D. Aegidij distribuatur. Quod si prædictus capellanus ob causam, quam rector iustam existimauerit, fuerit impeditus, ipsi concedimus, ut paucos dies, qui tamē unū mensem non excedant, possit per alterum æque idoneum in sacello sacra procurare, nisi morbo impediatur. Aegrotanti enim capellano, si fuerit egenus, uolumus usq; ad tres mēses duntaxat necessaria, ut sodalibus ægrotantibus subministrari, utq; eo morbo durante alter capellanus eius loco ad ministerium sacelli sufficiatur expensis collegij, quo tempore elapso nisi conualesceret, essetq; morbus chronicus, uel si quis eorum morte, uel alio casu prorsus defecisset, ut statim alij idonei, & honesti deligantur a Rectore, & consiliariis, ad quos prouisio pertinet, & in loco illorum capellanorum deficientium collocentur. Et si forte idonei breui reperiri nō possint, rector per sodales præbyteros, uel externos, curet ipsorum suppleri defectum, salarium illorum deficientium pro portione tēporis, & seruitij capturos, Et ne cultus diuinus in sacello aliqua ex parte minuatur, Sācimus, ut nullus ex capellanis aliquod officium, aut capellaniā habere possit, qua ministerium sacelli impediatur, nec uniuersitatis esse rector, aut ipsius uices gerere possit, alioquin, protinus a domo expellatur, & alter idoneus subrogetur. Quibus capellanis liceat theologia, aut iuri canonico pro ipsorum arbitratu dare operam, aut ab eisdē studijs cessare, dummodo sacelli ministerio satisfaciant.

STATVTVM OCTAVVM.

Capeliani quãdiu in collegio pmanere, & à quo corrigi, & quibus ex causis à collegio expelli debeant.

Item statuimus, ut capellani legitime admissi possint in sacelli ministerio quandiu uoluerint, permanere, dummodo officio suo bene, ac diligenter fungantur, quorum negligentia defectus, seu excessus à rectore cum consiliarijs corrigantur, neq; tamen eorum nutu à collegio repellantur, nisi seditiosi, inutiles ué fuerint, uel alia iusta causa arbitrio rectoris, & cõsiliariorũ, ac per uisitatorem approbãda: quem uisitatorem, tunc etiam si fuerit extra tempus uisitationis, adiri uolumus. Si quis autem præsbyter hispanus idoneus literis insudare cupiens, ad ministerium dictæ capellæ se admitti petierit, omnino admittatur, examinatus tamen, ut supra dictum est, & alter quicumque fuerit in collegio nationis alterius ei cedat, atque ad id per rectore, & consiliarios, sine alterius consilio, si opus fuerit, omnino compellatur.

STATVTVM NONVM.

De officio peragēdo à sodalibus pro D. Aegidij anima, & cõsanguineorũ.

Item quia sodales tantum beneficium in collegio accepturos, gratos esse decet, monemus eos, & obtestamur, ut D. Aegidij tanti muneris authoris, & consanguineorũ ipsius animas semper suis precibus domino commendare meminerint: & ut pro beneficiis his aliquid in domo domini pensionis offerat, quilibet sodalis pro animis prædictis, si præsbyter fuerit, missam ter saltẽ in mense in sacello collegij debeat celebrare, hebdomadario capellano, & qui missam matutinam celebrauerit, ministrãte, quem ad hoc teneri uolumus, nisi plures esset presbyteri sodales: tunc enim uolumus hebdomadarios ambos æquũ ministrãdi laborẽ subire, pro qualibet autem missa, quã sodalis presbyter omiserit celebrare, mulctetur duobus carlenis, nisi fuerit legitime impeditus, de quo debeat fidẽ facere rectori saltem per iuramentũ explicata causa, quæ si fuerit à rectore probata, & accepta, tunc per alterum presbyterum teneatur celebrare, nisi forsitã ægrotaret: qui sodalis presbyter singulis mensibus testimonio capellanorũ, à quibus fuerit in celebrando adiutus, teneatur fidem facere rectori se officio celebrãdi satisfecisse, qui presbyteri, & alij in sacris ordinibus constituti, seu beneficiũ ecclesiasticũ obtinentes, breuiariũ habeat, totũq; officiũ, ut iure tenetur, dicat, & à rectore, si opus fuerit, ad id compellantur. Cateri uero sodales officium beatę Mariæ uirginis

P R I M A

omnino habeant, illudque ut quotidie (secundum consuetudinem romanam) dicant, hortamur, ac ut septem psalmos penitentiales, cum suis letaniis, & orationibus omnibus semel singulis hebdomadis pro animis D. Aegidij, ac confanguineorum, nec non die, quo anniuersariae exequiae celebrantur, pro eius anima totum officium mortuorum ab omnibus, & singulis sodalibus legi iubemus, et qui hoc neglexerit arbitrio Rectoris puniatur, & quod praetermisit omnino legere teneatur, ac de poenitentialium psalmorum, & mortuorum officio unusquisque a Rectore requisitus saltem per proprium iuramentum fide facere teneatur: & Rector ipse ter in anno scilicet in die Natalis Christi, in die Resurrectionis, & die Assumptionis Dominae nostrae cum iuramento a singulis petere sub poena unius librae teneatur.

S T A T V T V M D E C I M V M .

De audienda re diuina, & ministerio a scholasticis in capella praestando,
& deficientium multa, ac praesentium distributionibus.

Item statuimus, ut quilibet sodalis praeter Rectorem, & Oeconomum ob varias ipsorum occupationes singulis diebus non festis alterutram ex missis audiat, festis autem solennem missam integram, aut certe statim post gloriam incipiendo, semper tamen iusto impedimento cessante, cuius saltem proprio iuramento fidem Rectori faciat: ab eo quin pro cuiuslibet diei negligentia duobus quadratibus mulctetur de subsidio eius per Oeconomum retinendis. Item ut nemo unquam intersit missae absque honesto pallio, seu ueste, sub poena priuationis portiois illius totius diei. Diebus autem dominicis, & festis solennibus supra statuto quarto commemoratis eandem proponimus poenam istis, qui missam principalem cum cantu in sacello celebrandam uestibus talaribus, quibus per urbem incedunt induti non audierint prorsus, ut nemo in talibus diebus satisfaciat audiendo missam extra Collegium, nisi Rectoris uoluntate: quem Rectorem itidem uolumus eum tali ueste sua interesse: qui si negligens fuerit in his poenis irrogandis toties ipso facto Periurij teneatur. Qui uero missae pacis, aut anniuersariae singulis, de quibus supradiximus in statuto huius distinctionis, atque anniuersario, quod singulis annis in .xxiiii. mensis Augusti uespere, & postridie in missa, quae in ecclesia sancti Ioannis de monte pro anima D. Aegidij celebratur non interfuerit, mulctetur eius diei portione, & pane tantummodo, & aqua coram discumbentibus intriclinio uescatur. Porro qui diuino officio interfuerint sodales, ibidem deseruiant, ut est consuetum, uel quemadmodum eis Rector duxerit committendum, alias arbitrio Rectoris negligentes puniantur: quos etiam hortamur, ut precibus matutinis, & uespertinis in sacello diecedis

interfint

interfint: inter quos idē sessionis ordo ibi seruetur, qui in mēsa seruari debet, ut infra dicitur, habeatq; unusquisq; pro matutinis, si ante finitū primū psalmum primi nocturni ingressus ad finem officij perseuerauerit, quadrantes quatuor, pro uesperis uero ante finitum primū psalmū ingressus, ad finemq; officij perseuerans, unum, ipsis per Oeconomum persoluendos: ac eodem modo capellani, si tamen officijs à principio usque ad finem interfuerint. Quare uolumus in una tabula omnia nomina sodaliū, & capellanorū descripta esse, qua diebus non festis dum dicitur euangelium utriusque missæ, festis uero ante primam missæ solennis orationem, in uesperis psalmo primo, in matutinis primi nocturni psalmo primo nō finito, præsentēs absentesq; uotētur ab aliquo Capellano, & singulis sabbatis Capellanus, qui ea hebdomada notandi curam habuerit, scedulam componat, omnes prædictas notas continentem, quam Rector eodem die (uesperi legitimo impedimento cessante) sub pœna unius libræ Bononiensis, legere teneatur coram sodalibus, & capellanis interesse uolentibus, & qui fuerint condemnati, ex eorum subsidio mulctam retineat Oeconomus, nisi iustas excusationes proprio saltem iuramento firmandas, eodem die coram Rectore allegauerint, nullatenus deinceps audiendi.

Pœ.

STATVTVM VNDECIMVM.

Quibus temporibus Rector, & cæteri sodales confiteri debeant peccata sua, & sumere corpus Christi, & de pœna omittentium.

Item quia iuxta sapientis sententiam timor domini initium est sapientiæ, ideo statuimus, ut quilibet sodalium singulis annis peccata sua bis parrocho, dictæ domus, uel alteri idoneo sacerdoti rite confiteatur, uidelicet in Natali domini, & in Resurrectione & eisdem temporibus corpus Domini in sacello Collegii sumere teneatur. Quod si quis impeditus iusta causa tunc facere nequiverit, idem cū primum poteritumat. Quare sub pœna excommunicationis late sententiæ Rectori præcipimus, ut a prima die Natalis domini, seu Resurrectionis, huius mandati contemptores portione pane, ac uino tandiu mulctet, donec in ea pertinacia persistant, usque ad octo duntaxat dies. Et si ultra in sua pertinacia processerint, à Rectore, & Consiliariis moniti, pro prima uice in unum mensem, pro secunda in duos, pro tertia profus à Collegio pellantur. Rector uero quem summè cupimus uitæ esse integerrimæ, ter in anno, bis scilicet cum cæteris sodalibus, tertio in festo Assumptionis beatæ Mariæ uirginis rite confiteatur, & corpus Christiumat, alioquin prædictis pœnis subiaceat.

Pœ. ex.



SECUNDA DISTINCTIO.



SECUNDA distinctio, ubi cauetur de numero sodaliū corpus Collegij constituentium, & de scientiis, quibus debent operam dare, de præsentatoribus, ipsorumque sodalium præsentatione, ac de præsentatorum supplenda negligentia: de ætate & qualitate præsentandorum, & eorū examinatione, iuramenti datione, ac de eorū admissione.

STATVTVM PRIMVM.

Quot sodales esse debeant, & de facultatibus quibus debent operam dare, de que his non confundendis, aut transmutandis.

Statuimus, & sancimus, ut Collegium constet ex triginta scholasticis sodalibus, octo sacram Theologiam, decem & octo sacros canones, & quattuor medicinam auditoris: præcipientes ne facultates prædictæ aliquo modo confundantur, prorsus ut ad locum Theologiæ, alter quàm theologus, & ad locum iuris canonici alter quàm canonista, & ad locum medicinæ, alter quàm medicus nullatenus admittatur: nec ad aliquam facultatem semel admissus, aliã audire possit, nec ullo modo se transferre prætextu cuiusuis dispensationis, sed diligenter incubat in eam scientiam, ad quã fuerit admissus, nisi quod theologus biennium tantum unam duntaxat lectionem ordinariam iuris canonici, & de illa materia, quæ magis theologis conueniens est, audire possit. Canonista uero duobus primis annis unam saltem lectionem iuris canonici audire teneatur, reliquo tempore ciuile quoque ius audire possit. Per prædicta tamen humaniores literas non est nostræ mentis cuipiã prohibere: neque theologis, & medicis artes, & philosophiam, dūmodo propter has harumue aliquã scientiæ principalis studiū nō deseratur, aut defraudetur. Præterea omnes in primo anno arithmeticã discant, ut sciant cum oportuerit Collegij rationes obire: quod qui neglexerit post tertiã Rectoris monitionem, dimidio cuiuslibet anni subsidio sit priuatus, quãdiu in sua perseuerauerit cōtumacia.

STATVTVM SECVNDVM.

Quæ ecclesiæ, & quot singulæ scholasticos, & unde debeant præsentare.

Quoniam D. Aegidij albornotij, cum hanc domum, & Collegium condere cogitaret, atque dotare, propositum fuit, suorum, hoc est hispanorum

hispanorum cōmoditatibus erga studia literarum cōsulere, quippè studiorū in Hispania, & ea memoria minima, & ad hanc usque ætatem parua fuit occasio propter bella, quæ christiani cum mahumetanis continenter gerebant, & uarias calamitates ab illis acceptas. Id circo nos uoluntatem eius sequentes; Sancimus: ut nemo nisi ex Hispania in Collegium admittatur. Hispaniam more ueterum intelligentes, quicquid Pyrenæis montibus & utroque mari clauditur, & ex illis Hispaniæ ciuitatibus, & diœcesibus, ubi ipse Do. Aegidius aliquando obtinuit sacerdotia, siue ecclesiastica beneficia, scilicet, ex ciuitate & diœcesi toletana, cuius ipse fuit archiepiscopus quatuor, quorum unus sacram theologiam, duo ius canonicum, quartus medicinam profiteantur. De hispalensi, ubi archidiaconus fuit Nieblæ, tres, quorum unus theologiam, alter ius canonicum, tertius medicinam audiant. Ex conchensi, ubi primum habuit beneficium, & moriens erat archidiaconus quatuor, unus ad theologiam, duo ad ius canonicum, quartus ad medicinam deligatur. Ex cæsaraugustana, ubi fuit educatus & multa obtinuit sacerdotia, & tunc erat archidiaconus Darochæ tres: unus ad theologiam, alter ad canones, tertius ad medicinam. Ex abulensi, ubi erat archidiaconus Areuali duo: alter ad theologiam, alter ad ius canonicum. Ex salmanticensi, ubi archidiaconarum Ledesinæ obtinebar, duo: unus ad theologiam, alter ad ius canonicum. Ex burgenfi, ubi abbas erat Castrixeritij, duo: alter ad theologiam, alter ad ius canonicum. Ex cordubensi, unus ad theologiam. Ex compostellana, ubi erat canonicus, Ex legionensi, ubi erat archidiaconus Valderæ, Ex palantina, Ex oxomensis Saguntina, Vlissiponensi, Ouetensi, in quibus nonnullas habuit dignitates, singuli ad ius canonicum admittantur, & unus ex Aegidij Albornotij familia, duoque à principe eiusdem familiæ præsentandi.

STATVTVM TERTIVM.

Quomodo præfules, & ecclesiæ debent, & unde scholasticos præsentare.

STatuimus & sancimus: ut prædictos scholasticos, præfules & capitula ecclesiarum superius descriptarum coniunctim, uel diuisim, ius perpetuum habeant per se præsentandi, datis literis (quos titulos quoque solemus appellare) quas ecclesiæ per Decanum, aut si absens is fuerit, per principalem ex dignitatibus, & duos saltem canonicos subscribantur, & per publicum notarium opposito sigillo capitulari: ut moris est. Litere uero prælati manu ipsius subscriptione eiusdem præfulis secretarij.

fines suarum dioecesium plusquam iter unius diei à suis ecclesijs abfuerint, tunc ipsorum uicarij generales ad audiendum causas in dictis ecclesijs cōstituti, uice ipsorum præsulum absentium ius habeant, prædictos scholasticos præsentandi; fiatque saltē in literis Vicarij mētio priuata de huiusmodi absentia, aliās literæ nullius penitus sint momenti. Et ut in his partibus, remotissimis aliqua de ipsis scholasticis notitia possit haberi, placet, ut in literis, tā capitulorum quam præsulis, de nominibus & cognominibus cuiuslibet de cetero præsentandi, utriusque etiam parentis, & de loco, ac dioecesi habitationis ipsorum specialis ac expressa fiat mentio: alioquin præsentatio per surreptionem & fraudem obtenta habeatur, ac nullius sit momenti. Quos præsentatores monemus, ut ex suis ciuitatibus, aut dioecesibus scholasticos præsentent; qui si se non obtulerint, aut quesiti non inueniantur, possint in defectum idoneos scholasticos ne loca ipsorum in Collegio uacent, aliunde præsentare; ex eo tamen regno in quo sita est ecclesia, cuius nomine præsentant, hoc est, cæsaraugustana, ex Aragoniæ: Vlissiponensis, ex Portugalliæ: relique ex Castellæ regnis late sumpto uocabulo, ut intelligatur etiā Toletana regio Beticaque, dummodo ex quaque ciuitate, seu dioecesi ex ijs, ad quarum ecclesias nulla pertinet præsentatio plusquam tres simul, & eodem tempore in Collegio esse non possint, nisi tanta esset sodalium penuria, ut à Rectore & consiliariis, esset præsentatorum supplenda negligentia: quos præsentatores itidem hortamur: ut scholasticos quos præsentantes delegerint, current in facultatibus, ad quas deliguntur examinare: in quibus saltem annis tribus studuisse debent in generali aliquo Gymnasio.

STATVTVM QVARTVM

Quot scholasticos, & quomodo, & unde optimates gentis albornotiæ præsentare possint.

Item statuimus, ut duo scholastici ex regno Castellæ, ut supra intellectæ; ius canonicum audituri à prioribus gentis albornotiæ ad Collegium perpetuo iure præsentari possint: quorum alter à principe albornotiæ familiæ, id est ab eo, qui patrimonium eiusdem familiæ, aut præcipuam partem, quem maioricatum uulgo dicunt, cum nomine familiæ retinebit, siue per masculinam lineam, siue per foemininam descendat. Alter uero per eum qui erit præsul ex eadem familia, præsulem intelligendo episcopum, & superiores: inter quos si plures fuerint, primum descendēs per lineam masculinam; deinde superior dignitate. Inter æquales autē, antiquior in consecratione in præsentandi iure præferatur: fiatque in eorum literis de nominibus, & cognominibus cuiuslibet

cuiuslibet præsentandi utriusque etiam parentis illius, & de loco, ac dioecesi habitationis ipsorum expressa mentio: aliàs litere nullius penitus momenti sint: quòd si præfulem à sua ecclesia ultra unam dietà, hoc est iter unicus diei, uel extra finem propriæ dioecesis, uel principem familiæ à sua sede abesse contingat, tunc eorum uicarij generales, ut supra dictum est, possint præsentare. Si uero alteruter penitus deficeret: aut in partibus ageret ualde remotis, uelut ultra marinis, aut captiuitate, uel simili casu detētus, nō dimisso uicario, tūc alter in alterius deficiētis locū in præsentādi iure succedat. Si uero (quod absit) uterq; præsentator omnino deficeret, aut in locis remotissimis, non dimissis uicariis, abesset, tunc præfules ecclesię toletanæ, ac conchenis in præsentandi iure succedat; fiatque semper in omnibus supradictis casibus, specialis ac expressa mentio de huiusmodi absentia, uel defectu, aliàs præsentatio censetur per sureptionem, & fraudem obtenta. Et si contingeret per utrumque præsentatos concurrere, præsentatus per patronum ipsum præferatur illi, qui ab ipsius uicem gerente fuerit præsentatus. Sed si præsentatus per uicem gerentem fuerit iam admissus, nemini eum cedere uolumus: fiat tamen cū aduentante: ut in simili casu infra cauetur. Qui omnes supradicti sodales numero sint triginta corpus Collegij: ut supradictū est cōstituentes.

STATVTVM QVINTVM.

Quot sodales ex albornotia familia possint esse in Collegio, & à quo præsentari.

Item statuimus: ut uno ex albornotia familia Aegidiique progenie per masculinam uel foemininam lineam legitime in Collegium admissio, etiam alter admitti possit à principe familiæ albornotiæ, uel in eius defectu à præfule, ut supradictum est, præsentatus: quem uolumus ad Collegium admitti in locū uacantem eius; ad quam fuerit præsentatus, facultatis. Quin etiam si locus nullus uacaret, unus talis, nec plures etiam ultra numerum triginta sodaliū in Collegium admittatur. Ita demum: ut plures quàm duo ex albornotia familia modo aliquo, uel tempore, in Collegio simul esse non possint: qui omnino subiiciantur, pareantque Rectori, nullam prerogatiuam, aut priuilegium præ aliis sodalibus deinceps habituri; ut seditiones tollantur, quarū magnam esse in huiusmodi prerogatiuis occasionem, res ipsa, non semel declarauit.

STATVTVM SEXTVM.

Quomodo Collegium tractare debeat primarios uiros albornotiæ familiæ Bononiæ uenientes.

S E C V N D A

STatuimus & sancimus, si quis forte præful, aut uir primarius ex alborno-
tia familia Bononiam uenerit, uelitque in hâc domum diuertere, Collegiũ
teneatur eum reuerenter recipere sub pœna periurij Rectori & consiliariis
& singulis de Collegio imminente & omni impedimento semoto, unum cu-
biculum ipsi ex melioribus Collegij, alterum ex paruis, eius familiæ tribuere.
Et si forte omnia cubicula tũc tēporis essent à sodalibus occupata, ipsorũ nõ
nulli ad paucos dies, quibus ille i Collegio manebit, in cubicula bini se cedãt,
& primis tribus diebus, si ipse consenserit, prandium, & cœnam ipsi cum fami-
liaribus quinque suppeditare: qui si plures habuerint, comites, siue familia-
res, uel iumenta, teneat eos extra Collegium atque alat de suo. Nolumus
enim à Collegio maiorem eius familiam, nec diutius ali quàm triduo: nec
pluribus diebus commorari quàm quinque. Rectori autem, & consiliarius
ac toti Collegio præcipimus: ut ipsum honorifice tractent cum comitate &
debita obseruantia. Si quis autem ex eadem alborno tia familia, nec præful,
nec cum honorifico comitatu Bononiam uenerit, & ad Collegium uoluerit
diuertere, comiter recipiatur in tres dies quemadmodum ij, qui fuerint ali-
quando sodales.

STATVTVM SEPTIMVM.

Quis ex pluribus præsentatis cæteris præferri debeat.

QVoniam præsentatores complures etiam externos, hoc est à suis ciuita-
tibus ac diocœsibus alienos frequenter ad unum locum, etiam
ante quàm uacet, præsentare consueuerunt; unde dubia & lites oriri, at-
que ipsis scholasticis damna non modica prouenire solent, iccirco statui-
mus, ut si ex pluribus ita præsentatis, aliquis in locum uacantem fuerit ad-
missus, nulli post modum uenienti cedere teneatur, quamuis literas præ-
sentatitias afferat prius datas, & de legitimo impedimento docere uelit.
Si uero locus nondum uacaret, is in affecutione eiusdem loci cum uaca-
uerit, si alias idoneus fuerit, præferatur, qui prius titulos, & probationes
suas legitimas, prout infra cauetur, Rectori & consiliariis per seipsum ex-
hibuerit, & postea Bononiæ remanserit, & circa studium, mores, & uitam
honestæ se & cum laude gesserit: alioquin præsentatio prædicta nullius peni-
tus sit momenti, nec pereã alicni postmodũ uenienti uolumus præiudicium
aliquod generari. Si tamen ipsum oporteret pro suis, uel alterius cuiuslibet
negociis abesse: liceat ei ad quatuor duntaxat menses; idque uoluntate
siue licentia Rectoris & maioris partis consiliariorum; quo tempore du-
rante

rante nullus admittatur, & si diutius abfuerit, & ante reditū eius alius ad eundem locum præsentatus, in eundem locum fuerit admissus, ipsi redeunti nullo modo cedere teneatur: litere tamen illius quo ad eundem locum, uel ad alium eiusdem facultatis, & ad eosdem præsentatores pertinentem, quando uacauerit uiribus non careant. Si uero re integra redierit, ipse rediens præferatur in affectuone prædicti loci uacantis, posterioribus in tempore datarū literarum: ac ne recedens ille possit prætereignorantiam, Rector & consiliarij licentiam petentem de supradictis certiozem faciant: alioquin dicta receptio ipsi intra præscriptum terminum redeunti ne officiat, & nullius poenitus sit momenti.

STATVTVM OCTAVVM.

Si plures concurrant in exhibendo quis cui præferri debeat.

Item Statuimus, ut si plures concurrant in exhibendo titulos suos ad eundem locum uacantem, uel uacaturum, tunc cuius literæ prius datæ fuerint, is si alias idoneus fuerit in affectuone loci uacantis, uel uacaturi præferatur. Sin autem pluriū literæ fuissent datæ eodem die, tunc ciuis, uel dioecesanus externis præferatur. Quod si hoc casu ciuis, & dioecesanus inter se, uel externi similiter inter se concurrant, tunc Rector & consiliarij optimū quemque, & maxime idoneum in locum uacantem, uel cum uacauerit admittant: in quo stetur iudicio maioris partis Collegij. Dies porro datarum literarum considerari placet, ut ambiguitates tollantur, quo ad titulos duntaxat ecclesiarum, non etiam præfulum qui quotidie transferuntur, aut mutantur.

STATVTVM NONVM.

Quemadmodum Rector, & consiliarij præsentatores ut scholasticos præsentent admonere teneantur, ac alia facere locis in Collegio uacantibus.

Si præsentatores tam negligentes fuerint, ut simul in Collegio decem præbendas, siue loca uacare contingat, nisi Collegium tanta premeretur inopia, ut commode plusquam. xx. sodales alere non posset, Rector & consiliarij, sub poena Periurij, & decem librarum Bonon. ipsorum singulis imminente, teneatur omnino proprium nuncium expensis Collegij in Hispaniam mittere: qui nuncius literis ipsorum sigillo Collegij obsignatis singulos præsentatores moneat, ac per Deum obtestetur, ut ad loca sic ua-

Pœ. cantia scholasticos idoneos presentare maturēt: quarum literarum respon-
 sionem referat auctenticā, aut earū præsentationis publicū instrumentū: &
 quia summe cupimus, nullū locū quo ad fieri possit, in collegio uacare, Re-
 ctori & cōsiliariis sub eadem pœna præcipimus, ut munus suum ineūtes, hoc
 est in mense Maio, inspectis locis, siue præbendis tunc uacātibus, aut infra an-
 num omnino uacaturis, quā cōmodissime poterūt, sine expensis tamen, aut
 per quā paucis collegij, literas sigillo obsignatas ad earū præsentatores mit-
 tant, quibus ipsorū singulos admoneant, ut scholasticos idoneos mittant, &
 præsentent ad loca sic uacantia, ac etiā per literas huiusmodi locorū uacatio-
 nem enunciandā curent in Salamaticensi, & uallisoletano. ac Cōplutensi, &
 aliis Hispaniæ gymnasiis, locis & personis, ubi, & quibus eis uisū fuerit expe-
 dire.

STATVTVM DECIMVM.

Quomodo perquisitor in Hispaniam mitti debeat, &
 quomodo suum munus obire.

Pœ. **I**tem Statuimus, ut quoties numerus sodalium ad decem ascenderit, de
 quibus, seu eorum titulis, ac probationibus per ipsos allatis, nulla per colle-
 gium inquisitio in Hispania facta fuerit, Rector, & consiliarij, sub pœna li-
 brarum decem singulis ipsorum, ipso iure imminente, teneantur omnino in
 fra menses duos à die completi eius numeri, uel quam cito poterunt fidelem
 nuncium, siue perquisitorem expensis Collegij in Hispaniam mittere, ad om-
 nia illa loca, ubi prædicta instrumenta confecta esse dicuntur, cum ipsis origi-
 nalibus, dimissis copiis auctenticis in capsula Collegij, expensis eorum, quorū
 fuerint instrumenta, ad inquirendum diligenter, & fideliter indagandum ue-
 ritatem ipsorum, & omnium quoruncunque in ipsis contentorum, & si quid
 fraudis, siue doli, circa aliquod de contentis in ipsis instrumentis, uel de re-
 quisitis infra in statuto tertio decimo huius secundæ distinctionis inuenerit,
 illud auctoritate Iudicis in publicam formam redigi & subscriptione ipsius
 iudicis, & sigillo auctentico roborari curet, & reportet huiusmodi publicam
 scripturam in qua testes, & notarius sint tot, & quales inferius informa com-
 muni in fine horum statutorū ponenda dicemus: quæ forma quo ad prædi-
 ctos testes notariū, & locū probationis per nūciū faciēde, omnino seruari uo-
 lumus: quā publicā scripturā nūcius reuersus Rectori & cōsiliariis exhibeat
 corā notario, & testibus, statim cū applicuerit ad Collegiū, & sodalis, qui in
 fraude, uel dolo, uel aliqua falsitate circa probationes, uel titulos, p ipsum ad-
 ductos cōuictus fuerit, sit eo ipso omni iure, & cōmodo Collegij priuatus, ap-
 pellatione, & defensione quacūq; remota, etiā si citatio parētū, uel cōsangui-
 neorū

neorum scholastici in tali probatione facienda per Nuncium non interuenerit, & omnes expensas, & cōmoda quæ à Collegio acceperit, & etiam expensas Nuncii continuo restituere compellatur, & in uinculis, aut publico carcere custodiatur, quousq; satisfecerit, & à Collegio turpiter expellatur. Nūcius uero si in his doli, aut falsi fuerit cōuictus, si sodalis sit pœna talionis puniatur & sit perpetuo infamis, si autē externus, ultra expēsas, quas omnino refarcire Collegio statim compellatur, in pœnam librarum centum incidat ipso facto: quarum quinquaginta ei cōtra quē huiusmodi falsum fabricauerit, quinquaginta capite pœnarum collegii applicentur. Et ideo uolumus, ut talis Nūcius mittendus quicumque fuerit sufficienter caueat se Collegium si sibi commissa fideliter, & cum effectu non adimpleuerit indemne seruaturum.

STATVTVM VNDECIMVM.

De suplenda negligentia præsentatorum per Rectorem & consiliarios,
& quid sit faciendum, si quis intra decem menses, uel
post præsentatus uenerit.

Item Statuimus, ut præsentatoribus sic admonitis, & prædictę monitionis habita per publicum instrumentum fide, expectentur scholastici præsentandi decem duntaxat mensibus à die admonitionis, quibus peractis possint Rector & consiliarij alium, uel alios scholasticos idoneos, & tales, quales per præsentatores essent mittendi in locis sic uacantibus collocare. Et si quo scholastico sic admissio, alter applicuerit, qui ad locum illum per aliquem ex præsentatoribus mittebatur huic cedere admissus non teneatur, nisi aduentans intra prædictos decem menses fuerit præsentatus, & se legitime impeditū, quominus intra dictū temporis spacium uenire posset legitime probauerit. Cui uolumus, ut extra Collegium Bononię studere uolenti, si Collegium abundauerit, aliquid elemosinę gratia, prout Rectori, & consiliariis uidebitur suggeratur. Qui si extra Collegium manens doctrinę, quam profitetur diligenter incubuerit, seq; præbuerit uita, & moribus cōmendabilē, uolumus ipsum à Rectore, & consiliariis admitti in primum locum uacātem in ea facultate, ad quē uidelicet præsentandis ius fuerit ad ipsos propter præsentatorum negligentiam deuolutū. Si forte tamen post prædictos decem menses aliqui à præsentatoribus præsentati Bononiam peruenerint locis adhuc uacantibus, uolumus eos non obstante mora præsentatorum, si alias sint idonei, in Collegium recipi, & in locis suis uacantibus collocari. Aliis uero uenientibus postea ad requisitionem fortassis Rectoris, ne se conquerantur esse delusos, provideatur quemadmodum supra in simili casu hoc statuto cauetur.

S E C V N D A

S T A T V T V M D V O D E C I M V M .

Quot in collegio possint, extra formam supra traditam, in negligentia
præsentatorum admitti, & de iuramento præstando .

Item si præsentatores neminem mittere curauerint, & rector, & cõsiliarij (ut prædicitur) hispanos idoneos inuenire nequiverint, ex his locis hispaniæ unde admitti eos oportere supra cautum est, & collegialium numerus adeo decreuisset, ut ad septem, uel octo esset redactus, nec foret spes posse prope diem de hispanis prædictis numerum augeri, statuimus ut Rector, & consiliarij & non alter, alios etiã hispanos in quocunq; loco hispaniæ ortos, ad loca uacantia possint, & teneantur admittere, dummodo numerus hac ratione admissorum numerum eorum, qui alias legitime fuerint admissi nõ excedat: alios autem quam hispanos admitti nulla ratione, seu necessitate uolumus. Hispaniam uero more ueterum intelligimus quidquid pyreneis môtibus, & utroq; mari cõtinetur. Iurabũtq; ita admissi, se absq; mora statim recessuros, cum ex locis legitimis aliquis præsentatus appulerit.

S T A T V T V M T E R T I V M D E C I M V M .

De ætate & qualitate ad collegiũ admittendorũ &
qua disciplina instructi esse debeant.

Item Statuimus, ut scholastici ad collegium admittendi, sint ante omnia ex utroq; parente antiqui christiani, intelligẽdo antiquum christianum, pro ut in hispania intelligi consueuit; idest ut nulla memoria, nec publica fama extet ipsos, aut ipsorum aliquem genus aliqua ex parte ducere à iudæis, aut hæreticis, uel recõciliatis, aut mahumetæis, seu neophytis. Item sint nati ex uero, & legitimo matrimonio, & saltem uigesimum primum suæ ætatis annum attingant: nec ita diuites, ut cuiusq; eorum redditus, & prouetus, de quibuscũq; bonis quomodolibet obueniẽtibus summa quinquaginta aureorũ, bononiam allatorum excedat diuitiã tamẽ paternã quãtuncunq; magnæ filio ad hoc impedimẽto ne sint: qui scholastici si fuerint ex canonistis alterutriuri, si uero ex theologis, uel medicis, artibus, & philosophiã postquam grãmatica fuerint imbuti, in aliqua uniuersitate generalis studij per triẽnium saltem operam dederint. De quibus omnibus & singulis unusquisq; ante sui ad collegium admissionem, fidẽ omnino facere teneatur per publicum instrumentum, prout in forma communi in fine horum statutorum ponenda, & pro statuto in omnibus, & per omnia obseruãda plenius, atq; distinctius cõtinentur

tinetur. Præterea Sancimus, ut nullus qui fuerit, uel sit monachus, siue frater, aut canonicus regularis, aut morbo contagioso, seu lepra, uel Gallico, aut aliquo horribili morbo laborans, ut comitiali, nec non coniugatus, nemo etiam qui minus ingenue uixerit, uel aliquam uilem artē exercuerit, aut in abiecto ministerio cuiquam sit famulatus, uel alterius Collegii famulus, siue familiaris. Postremo cuius frater, aut auunculus, patruusue, siue fratris, aut sororis filius sit in hoc Collegio, nec is ullo modo ad Collegium admittatur.

STATUTVM QVARTVM DECIMVM.

De Scholasticorum in Collegium admittendorum erga uitam,
omnes, ac docilitatem examinatione.

Item ut aliqua de uita, & moribus scholasticorum in Collegium admittendorum in his locis remotissimis cognitio haberi possit. Statuimus, ut titulis, & probationibus exhibitis, & admissis nullus in Collegium admittatur antequam saltem mensem unum Bononiæ permanerit, quo tempore Rector causam illius, qui admitti postulat, ad collegiales rite congregatos referat, Ut si quis eorum aliquod impedimentum sciuerit quare ille admitti ad collegium non debeat, id possit, & debeat sub pœna periurii, Rectori, & Consiliariis enunciare, ac de hoc legitimam fidem facere, examinationem uero circa omnia supradicta committimus rectori, & consiliariis. Volentes etiam ut quilibet admittendus, prius coram collegialibus istius collegii, unam lectionem in sua facultate per rectorem, & Consiliarios per unum diem antea ipsi assignandam legere teneatur, & duobus saltē collegialibus a Rectore nominatis argumentantibus respondere. Qui admittendus si bene, & honeste uixerit, ac docilis, & alias iusta hæc statuta idoneus uidebitur, per Rectorem, & omnes consiliarios, nemine pœnitens discrepante, præmissis iuramento, se nec amore, uel odio, amicitia, cōsanguinitate, siue affinitate, seu alia quauis de causa, suffragia sua præstituros, per Fabas albas, & nigras in Collegium admittatur. Quibus Rectori, & consiliariis, ne dicta suffragia ipsi admittendo aut alteri eius loco promittant, sub pœna excommunicationis latae sententiæ à qua non possint absolui nisi à summo Pontifice prohibemus, & ne inter ipsos acta, & tractata, alicui audeant reuelare sub eadem pœna præcipimus. Quibus aut uno ipsorum in admissione forte dissentientibus, Rector sub pœna expulsionis, in mediate causam ad collegium deferre teneatur, ut per maiorem ipsius par-

tem, præmisso dicto iuramento, & omnibus aliis, quæ de Rectore, & consiliariis dicta sunt in ipsis collegialibus locū habituris, per fabas itē albas, & nigras diiudicetur debeat nec ne talis Scholaris in Collegium admitti. Qui si idoneus inventus non fuerit pro illa uice repellatur: si uero dictus Scholaris primo per Rectorem, & Consiliarios deinde per Collegium minus idoneus iudicatus, coram quocumq; iudice, uel etiā coram Reuerendissimo Protectore reclamauerit, sit omnino, & sine ulla spe in perpetuum inhabilis, & exclusus.

STATVTVM DECIMVM QVINTVM.

De formula iuramenti quodd præstare debent Scholastici antequam admittantur, & de ipsorum admissione.

Item statuimus, ut quilibet ad collegium assumendus postquā examinatus fuerit de doctrina habilitate, & omnibus aliis, prout superius est expressum, antequam ad Collegium assumatur iuret in manibus Rectoris tactis sacrosanctis Euangeliis, præsentibus consiliariis, aut ipsorum maiore parte Notario & testibus, se omnia statuta collegii ædita & ædenda inuiolabiliter obseruaturum, atq; ædita, sub pœna Periurii intra mensem à die suæ admissionis in collegium perlegere curaturum, eorū abrogationem, seu mutationem nunquam per se uel alium ullo modo curaturum, neq; requisitum consensurum; iura & libertatem Collegii defensurum, & quamdiu in ipso collegio manebit quā optime, ac citissime poterit bona fide Collegio omnia quæ scierit insigniter ipsi nocitura, remotis omnibus, amicitia, odio, consanguinitate, affinitate, gratia, uel fauore cuiuslibet indicaturum, secreta ipsius Collegii nullo modo cuiquam extra Collegium enunciaturum, & ipsi Rectori reuerentiam, seu obseruantiam, & obedientiam in licitis, & honestis, ut statutis cauetur, præstiturum, & postquam à Collegio discesserit neq; cōtra ipsum, neq; contra posteros & consanguineos D. Aegidii Albornotii, nec cōtra ipsorum dignitatem, aut commoda quicquam moliturum, aut conaturum per se, uel per alium, nec in malum ipsorum alicui consilium, auxilium, patrociniū, uel fauorem præstiturum, nisi iura Collegii, suorum, uel sua prosequendo, & quotienscunq; constiterit sibi de aliquo dolo, seu fraude, uel falsitate suorum titulorum, uel probationum, non antea ex urbe Bononia discessurū quā ipsi Collegio plene satisfaciat, quæ ab eo receperit, & sine aliqua contradictione, & dilatione locum dimissurum expeditum. Iurabit etiam se illi scientiæ ad quā se admitti

petit,

petit, iugiter & constanter operam daturum, nec ad aliam se transferre curaturum, sub pœnis infra circa hoc in statutis contentis. Et huiusmodi præstito iuramento ad collegium assumatur, & iuramentum hoc, & admissio, & ad quã præbendam fuerit admissus, & a quibus per prædictum Notarium cum die, mense, & anno in scripturam autenticam redigatur, & per Rectorem etiam in libro ad hoc destinato omnia ista scribantur.

TERTIA DISTINCTIO.



Tertia distinctio, in qua de Cubiculorum ipsorumque suppellectilis attributione, collegialibus admissis in collegio facienda, De uictu & uestitu, & subsidio, tum communis collegialium, tum eorum qui doctores efficientur. Necnon de exercitio literario, & quandiu liceat in collegio commorari, & quandiu per id tempus ab esse.

STATUTVM PRIMVM.

De consignatione cubiculorum, & suppellectilis, ac de ipsorum ratione reddenda, & de uisitatione super his bis in anno per Rectorem facienda.

Item statuimus, ut unusquisque collegialium postquam legitime fuerit admissus optimum cubiculum ex ijs, quæ tunc temporis uacabunt possit eligere. Debent autem cubicula singula his rebus, collegij expensis esse munita. Primum lecto, qui cõstet idoneo fulcro, duabus culcitris, una stupea, altera plumea, quatuor linteis ex tela grossiore, uno cervicali lano, uel plumeo. Itẽ una lodice, cuius ualor libras quatuor Bononienses non excedat. Item una capsula cũ sua clauẽ, & statutis collegij. Item una mensa cum suis pedibus cum uno linteo ad uestium cõseruationem, ac etiam uno tripode, & alijs tabulis ad studium necessarijs. Quod cubiculum ita instructum rector cum duobus saltem consiliarijs ipsi consignare teneatur. Et antequam ei tradatur prædicta suppellex, idẽ Rector sub pœna Periurij inuentarium in libro ad hoc confecto corã ipso collegiali, & cõsiliarijs facere teneatur, & recipiens, sub pœna eadẽ manu sua illi subscribere, ac prædicta omnia ad suum usum recepisse per scripturam huiusmodi confiteri teneatur. Qui si post ad aliud cubiculum migrauerit, uel de collegio discedere uoluerit animo nõ redeundi, omnia supra dicta sibi consignata teneatur, sub eadem pœna rectori, & consiliarijs

TERTIA

consignare, & de eis rationem reddere plenam. Qui rector, & consilia-
rij, sub prædicta pœna bis saltē in anno, uidelicet mense Maio, & in prin-
cipio studij teneantur reuifere omnia cubicula, etiam capellanorum, &
famulorum, & requirere, an ibi sint omnia consignata. Et si opus fuerit
renouatione, aut instauratione aliquorum providere.

STATVTVM SECVNDVM.

De Supellectili cubiculorum non transmūtanda, &
de eius conseruatione.

Item statuimus, ut nullus sub pœna Periurij audeat quoquomodo quic-
quam ex prædicta supellectili sibi in cubiculo suo consignata inde amo-
uere, uel permutare, aut ad aliud cubiculum, aut locum transferre, etiã
cum expressa licentia rectoris: quam si rector dederit ipsum uinculo ex-
communicationis late sententiæ subiacere uolumus, à qua absolui non
possit, donec transportata ad cubicula, cui erant attributa, & unde abla-
ta fuerant omnino reportentur, nisi aliud iusta causa arbitrio rectoris,
& omnium consiliariorum suaserit faciendum, uel nisi ad possessiones
scholasticos ire, contigerit, quibus liceat tunc duo lintea lodicemq; uo-
luntate rectoris deferre, si hæc comodari a socijs collegij non possint.
Volentes etiam, ut omnia quæ sic in suū usum quis receperit, teneatur
diligenter, & fideliter custodire, & lintea saltem semel in mēse lauanda
curare, sub pœna decem solidorum, pro qualibet uice de ipsius prouisio-
ne retinendorū. Et si quid ex eis eius culpa fuerit amissum, uel deceptū
resarcire quilibet de suo compellatur. Et si ipsius dolo, uel fraude forsi-
tan perierit ultra satisfactionem prædictam in pœnam Periurij incidat
ipso facto. & prouisione unius anni ipso iure sit priuatus.

STATVTVM TERTIVM.

De cubiculorum distributione.

Item ne contentiones, & rixæ, propter cubiculorum optionem, seu
permutationem existant, duximus declarandū, quod cubiculū superius
positum in angulo ad sinistram intratibus bibliothecam cū sua supelle-
ctili, ac alterum interius, ubi lectus esse consueuit, sint semper Rectoris,
donec in officio permanebit. Illud uerò quod infra est proximum sacel-
lo ad sinistram intrantibus attribuat Oeconomo. Cætera itā superio-
ra, quam inferiora communia sint cæteris collegialibus, sine facultatū
discrimine, ab ipsis, prout in statuto proximo cauetur, optanda.

STATVTVM QVARTVM.

De cubiculorum mutationibus non faciendis, & eorum
cum uacauerint electione.

Item statuimus, & omnibus prohibemus, sub pœna priuationis totius
prouisionis, quãdiu fuerint cõtumaces, ne mutationes, uel optiones fa-
ciant cubiculorũ autoritate propria, sed eo quisq; contentus sit, quod
sibi iure statutorum obuenerit; & Rector completo anno, sui officij, re-
deat ex cubiculo rectoris ad suũ pristinum, nisi alterum interim optaue-
rit. Erit autem hæc optandi ratio: cum aliquod cubiculum uacare con-
tigerit, quod eueniet, uel propter uacationẽ præbendæ, uel propter ab-
sentiam, si modo libros suos non relinquat Bononiæ, & tunc sub condi-
tione rector intra triduum, sub pœna Periurij, collegialibus rite congre-
gatis, optionem eius cubiculi proponet. Eritq; ius optandi primum ip-
sius rectoris, deinde doctorum, qui post quadrienniũ ab admisione, gra-
dum Bononiæ, approbante collegio sumpserint, pro scientiarum digni-
tate: inter pares autem antiquitate sumpti gradus, tum prout quisq; an-
tiquissimus fuerit in collegio, nulla facultatis, dignitatis, aut gradus ha-
bitatione, nisi si quis forte contagioso morbo, qualis gallicus est, labo-
raret. Nam cum tali morbo nolumus quenquam a suo cubiculo com-
migrare: declarantes posse hanc optionem etiam ab absentibus fieri
per suos legitimos procuratores.

Per.

STATVTVM QVINTVM.

De portione cibi quotidiani, & de eius duplicatione.

Item statuimus, ut cuilibet in collegio, tã Rectori, quam collegialibus
& capellanis in collegio præsentibus, una libra, & semis bonarũ carniũ
uitularum die quolibet, quo carniũ esus nõ est prohibitus, ministre-
tur cum ferculo cõpetente, prout rector, & consiliarij duxerint ordina-
dũ: quarũ carniũ dimidia pars in prandio, dimidia in cœna ministretur.
De uino autẽ, & pane habeant in prandio, & in cœna quantũ uoluerint.
& eorũ cõueniat honestati. Diebus uero ieiuniorũ, & alijs quibus esus
carniũ prohibetur, in ouis uel piscibus, pro cuiuslibet portione tantum
expẽdatur, quantum fuisset in carnibus expendendum. Prohibentes ta-
mẽ, ut nulli portio detur in pecunia, nisi prout expresse statutis cauetur.
Permittimus tamẽ, ut in quinq; uel sex anni festis dũtaxat, prout rectori
& cõsiliarijs uidebitur si aliunde sine expẽsis collegij cibus extraordina-
rius cõmode haberi nequeat, supradicta portio duplicetur. Familiari-

bus autē, & alijs ministris collegij de Carnibus, & ouis, uel piscibus de-
tur dimidiū portionis supradictæ: & de alijs ad uictū necessarijs prou-
deatur, iuxta arbitriū Rectoris, & cōsiliariorum. Socijs uero collegii ali-
quid ad ipsum afferentibus, uel ob res ipsius ueniētibus nec aliter, ciba-
ria quēadmodū collegij familiaribus ministrentur. Extra prandium, &
cœnam, si quis collegialis, aut capellanus panē, aut uinum, aut utrumq̃
ad ientacula, similiaq̃ petierit, possit ei Rector cū ipsi cōmodum decēsq̃
uidebitur concedere: famulis autem prout uidebitur constituere.

STATVTVM SEXTVM.

De hora prandij & cœnæ, & pulsatione campanellæ, ac de
Benedictione mensæ, & gratiarum actione.

Item statuimus, ut omnes collegiales, & capellani ad sonum cāpanel-
la uocentur ad prandium, & ad cœnam hora competentī, infra dicēda;
qua pulsata, omnes sine mora ita, ut principio benedictionis intersint, &
cū ueste honesta conueniant in triclinium, & tunc postquā cibus aliquis
fuerit allatus, unus capellanorum, seruato hebdomadarum ordine, alijs
respondentibus mensæ benedicat in principio, & semper cum a mensa
surgetur, deo gratias agat, & in fine actionis gratiarum, tam in prādio,
quā in cœnā cōmemorationē nominatim pro anima Domini Aegidij
faciat, dicens, Requiem eternam, cum psalmo, Laudate dominum,
In diebus uero ieiunij cum psalmo, Miserere mei deus, & orationibus,
Deus qui inter Apostolicos &c. Item si quis ante gratiarum actionem
absque Rectoris licentia de triclinio recesserit, die postero panē, & aqua
coram omnibus publice, in tertia uel quarta mensa faciat pœnitētiam.
Si quis uero collegialis finita benedictione, sed antequā ceteri discum-
bant intriclinium intrauerit, uel capellanus benedictioni defuerit, uino
tantum ea uice priuetur. Sin autem iam ceteris discumbētibus intraue-
rit, quāuis iuste fuerit impeditus, tota portione priuetur illius prandij,
uel cœnæ. Si quis autem docendo, uel audiendo aliquam lectionem, aut
rebus collegij, uel aliquo suo urgente negotio, cuius fidem saltem per sa-
cramentum Rectori faciat, esset occupatus, quo minus tempore posset
ad primam mensam uenire, liceat & in secunda cibū sumere. Sed si nul-
la tali causa primæ mensæ defuerit, præter panem, & uinum, cetera por-
tione priuetur. Erit autem hora prandij post finitam missam secundam
in scholasticorum redditu a suis lectionibus celebrandam. Cœnæ autē,
a principio studij usq̃ ad Quadragesimam statim post tertiam horā no-
ctis: Deinde per totum annum statim post uigesimam secundam horā
diei;

diei; mutanda tamen à Calendis Septembris usq; ad principium studij, & in magnis festis arbitrio Rectoris. Diebus etiam quadragesimæ, & alijs quibus ieiunabitur, Rectoris arbitrio relinquimus.

STATUTVM SEPTIMVM.

Quo tempore fores collegij, & per quem claudi debent.

Item statuimus, ut quotidie, etiam in Carnis priuio, signata prima hora noctis, aliquantulum expectando post sonum cāpanæ collegij per Capellanum hebdomadariū nocte qualibet paulisper pulsandæ, ianua collegij exterior, & interior claudantur suis clauibus per Rectoris famulum. Quæ quidem clauēs semper in rectoris cubiculo reponantur: nec aperiātur fores mane, ne pistori quidem, ante campanā diei pulsatā, nisi forte aliquis casus necessitatis existeret, cuius iudiciū, & arbitrium sit rectoris, & duorū saltem consiliariorum, quare fores sint aperiendæ: quæ nullo modo postquā fuerint clausæ ante sonum cāpanæ die sequēti, etiā in casu necessitatis, nisi præsentē saltē uno consiliario aperiātur.

STATUTVM OCTAVVM.

Qui selsionis ordo, tam in sacello, quam in mensa, seu alibi inter Collegiales seruari debeat.

Item ut omnibus ordo regulæ seruetur, statuimus, ut in mensa, & ubicunq; collegiales publice conuenire solent, sedeant hoc ordine: post rectorem primo sedeant doctores secundum gradus dignitatē, ut Theologi, Canonistis, Canonistæ Legistis, Legistæ Medicis, Medici Artistis præponantur, Post hos uero Baccalarius formatus in sacra pagina. Deinde in dignitatibus ecclesiasticis cōstituti secundum gradus ipsarum dignitatum. Tum capellani, & post eos omnes alii collegiales, ordine, prout quisq; prius in collegio receptus fuerit. Et si qui forte doctores, aut Baccalarii sint pares, præponantur qui primo receperunt gradum. Inter uerò habentes pares dignitates, ordo receptionis in collegio seruetur. Si uerò simul recepissent tales gradus, uel simul admissi essent ad collegium, iudicium sit rectoris, & consiliariorum, quis ordo inter ipsos seruari debeat. Et quod ab his semel fuerit cōstitutum seruetur semper in ea rerum conditione. Si tamen de his qui præcedere debent, cum alij iam in mensa sedent, aliqui præter Rectorem ueniant, ultimo loco sedeant, contrarium facientes pœna solidorum decem Bononiensium mulctentur, uel aliā arbitrio rectoris puniantur. Itē decernimus, ut iunior

Pœ.

collega, si antiquiori secundum ordinem supradictum obuiauerit in collegio, uel extra ubicunq;, teneatur ipsum antiquiorem reuereri, sededo, loquendo, & tollendo pilam, sub poena duarum librarum Bononien-
 Pœ. sium, pro qualibet uice. Et si antiquior similem non retulerit reuerentiã ei duplicetur poena per rectorem, & consiliarios.

STATVTVM NONVM.

De lectione sacra scripturae in pradio, uel in coena, ac desiletio tenedo & quod ad mensam comunẽ nihil priuatim afferatur: ac de Xenio mis-
 so alicui, distribuẽdo, & de fragmentis panis qua superabũt, & ut
 intriclinio diebus ieiunii carnes, uel oua comedi nõ possint.

Item statuimus, ut collegiales singuli per hebdomadas uicissim toto anno secundum ordinem cubiculorũ, a principio benedictionis primae mensae usq; ad gratiarum actionem legant scripturam sacram, seruato librorũ ordine, prout in Biblia digesti sunt, in prandio, & in coena diurna alta uoce, nec properanter, ut commode ab alijs omnibus, qui silentium tenere debeant, exaudiatur, & intelligatur, praeterquam in mense Maio, a cuius calendis uolumus pro sacra scriptura legi statuta collegij ab initio quousq; perlegantur. Cui lectioni hebdomadarius, qui defuerit portione illius prandij, uel coenae priuetur. Item prohibemus ne quis esculentum, aut poculetum ad triclinium afferat priuatim, nisi forte Rector propter infirmitatem, uel aliam iustam causam pro sua prudentia hoc nominatim alicui duceret concedendum. Et si cui in communi mensa discumbenti Xenium mitteretur, rector, si sibi uidebitur, distribuatur inter omnes, nisi forte mitteretur alicui infirmo, a persona tamẽ honesta. Prohibentes etiam sub poena solidorum decem Bononien- sium, ne quis collegialiu, uel capellanorũ in suo, uel alterius cubiculo pradeat, siue coenet, seu extra comune triclinium in collegio, nisi agrotaret, uel licentia Rectoris cum aliqua iusta, & probabilis causa subesset: qua cessante idẽ rector licentiam huiusmodi ne cõcedat, in quo, nequid temere permit-
 tat, ipsum admonemus in Domino. Praecipietes etiã, ut fragmenta, quãtã in prima, quã in secunda mensa, & coquina, diebus singulis supererũt munde collecta per ministrũ triclinarium, uel alium per rectorẽ ad id deputatum quolibet die mane ad hostiũ collegij pro elemosina pauperibus erogetur: quod ut faciendum curet admonemus in domino. Diebus porro ieiuniorum per ecclesiam ordinatis nullus intriclinio, nec in prima, nec in secunda mensa possit carnibus, ouis, uel laticinijs, etiã cum licentia utriusq; medici, uel sci. In secunda uero ceteris, praeter carnes, qui
 bus

bus tamē carnibus extra triclinium in cubiculo uesci liceat, aut alio honesto loco: ita tamē, ut nullus usquā cibus ab ecclesia uetitus à dictorū aliquo sumatur, nisi obtenta ab utroq; medico licētia, & a rectore, & cōsiliarijs approbata. Quæ omnia, ut fiāt honestius, & citra externorū scādalū. Fores Collegij priores, ante peractā secundā mēsam nunquā apperiatur nisi tantum collegæ, aut uiro illustri ut puta Cardinali episcopo, Duci, Comiti, &c. famulis uero & partiarijs apperiatur posticū, & non alijs. Secus facientes etiā ipse rector periurij rei sunt, & quatuor libris mulctentur.

STATVTVM DECIMVM.

De subsidio agrotantium, & mortuorum funere.

STatuimus, ut si rector, seu aliquis collegialis, cui, nec redditus suppetant, nec abundans patrimonium, agrotauerit triduum, & eo periculo ductus, rite confessus fuerit peccata sua, ei duplicetur uictus, uidelicet in pecunia numerata: si morbus intendatur, tribuatur ei aliquis famulus, siue honesta mulier, quæ assideat, atq; ministret ei, modo ne mulier in collegio per noctet. Si tamen morbus inualuerit, & sic laboranti desint ob paupertatem necessaria, rector cum suis cōsiliarijs consulto medico de grauitate, seu periculo morbi suggerat ei omnia necessaria, ne propter paupertatem periclitetur: ita tamen, ut collegium non grauetur tali subsidio ultra mensem; puta si morbus fuerit chronicus, ut pthisis, quia tunc satis est, ut detur ei duplex portio, tam panis, & uini, quam reliqui cibi. Si uero tres menses morbus durauerit, tunc agrotans collegium exire, aeremq; mutare compellatur. Et pro omnibus spectantibus ad uictum unus Carlenus in singulos dies eidē suggeratur: qui si intra annum non conualuerit, huiusmodi subsidium cesset, nisi in Hispaniam se conferre decreuerit, cui eo casu dari uolumus pro uiatico prouisionē quatuor mensium; & locum eius per annum à die quo recedet nolumus uacare. Intra quem annum, si sanus redierit, admittatur, studiumq; suū compleat, computando ei omne tempus, per quod habuit à Collegio expensas intra, uel extra. Si uero mori contingat aliquem Rectorem, collegialem, seu capellanum, qui sepulturam alibi non delegerit, sepeliatur in capella, quæ habet collegium in parochia sanctæ Mariæ de Muradellis. Qui si tanta fuerit paupertate, ut relicta eius bona funeri nō sufficiant permittimus rectori, & consiliarijs, in eius funere, usq; ad quinque libras Bononienses expendere; quæ pro anima Domini Aegidij Albor notij expensæ fuisse intelligantur.

T E R T I A

STATVTVM VNDECIMVM.

Quod nullus possit externū aliquē in collegio inuitare, uel ad dormien-
dum admittere, exceptis iis, de quibus hoc statuto cauetur,
& de scedulis pro pane, & uino dandis.

ITē statuimus, ut nullus de collegio, etiā capellanus, & officiales, & fa-
miliares domus, possint aliquē externū in collegio inuitare ad prandiū,
uel ad cœnam, nisi sit consanguineus, & incubiculo inuitantis: & tūc ex
licentia rectoris ad unum prandium, uel cœnā æstate, uel ad unum pran-
dium solū hyeme, & hoc ter in anno cuilibet collegiali intelligatur per-
missum; & quod habeat a collegio panem, & uinum. Cæterū si domi pa-
nem aut uinū accipere uolet pro suis inuitatis, in propria camera aut
alias arbitrio rectoris, scedulā det proprio nomine subscriptā pretium
persoluturus ubi, rectori, & consiliarijs uisum fuerit, modo panem illum
aut uinum e collegio non offerat. Secus facientes undecim libris mul-
tetur. Rectori uero permittimus, ut in conuiujs uoluntarijs, usq; ad tres li-
bras Bonon. nec amplius sub infra scriptas pœnas de pecunijs collegij
expendere possit, panem uero, & uinum quantum suis conuiujs sat erit
libere damus. Collegam autem qui dispensandi panis curam sustinet, in
domino monemus, ut acceptas scedulas diligenter conseruet, easq; om-
nes ad rectorem, & consiliarios ad unam referat. Qui si panem aut ui-
num sine tali scedula cuiquam dederit decem, libris mulctetur. Idem
præterea ubi prouinciam suam deposuerit, & illam collegæ nouissime
cooptato dederit eum coram testibus moneat huius legis obseruatio-
nem, si secus fecerit quinq; libris mulctetur. Præterea ipse Rector ua-
leat in tribus principalibus anni festis, arbitrio suo eligendis, inui-
tare uiros honestos, præsertim ex Hispanis scholasticis, qui nouem
numerum non excedant, & in triclinio expensis Collegij, dummo-
do non excedant summam decem librarum. Liceat tamen in festo
sancti Clementis inuitare quos uoluerit, dummodo expensæ non exce-
dant librarum uiginti, & prohibemus ne aliquæ expensæ in ornanda
Ecclesia hoc die sancti Clementis fiant. Inuitantes autem aliquem ex-
ternum, præterquam ut dictum est, nisi licentia Rectoris, & expensis pro-
prijs, pro qualibet uice pœna trium librarum Bononiensium per Recto-
rem, & consiliarios puniantur. Volumus tamen, ut si quis post aliquod
tempus qui collegialis esse desierit, non tamen collegio pulsus, uel priua-
tus suo merito, Bononiam transeundo uoluerit in collegium diuerte-
re, recipiatur cum uno iumento, & uno famulo, alaturq; publicis im-
pensis, ut Rectori conuenire uidebitur, attributo ei cubiculo cum lecto
ad

ad triduum duntaxat: quo finito discedat a Collegio. Alium autem externum, etiam consanguineum, præterquam patrem, uel fratrem per unam noctem tantum, post sonum campanæ, etiam licentia Rectoris ad dormiendum retinens, Rectorq; uel ex consiliarijs aliquis hoc permittens pœnam priuationis Collegij incurrant, necnon pœnam Periu-rij, si ultra triduum aliquem, etiam Collegialem, etiam expensis proprijs in ipso Collegio iumentum supradicti retinere permiserint, nisi is collegialis esset recessurus intra quindecim dies animo non redeundi, per quos si uoluerit possit tenere iumentum suis expensis, præter fœnum, quod Rector, si uidebitur, poterit ei concedere.

STATVTVM DVODECIMVM.

Quomodo uestiri debent Collegiales.

Item cupientes uestitui collegialium, & insignibus Collegij, prout honestati conuenit, prouidere, sancimus, ut omnes collegiales, qui sunt, & erunt uestiri debeant in hunc modũ, utentur ueste ex pãno nigro cuius ualor in singulas ulnas, siue brachia, quatuor libras, & semissem non excedat, talaris sit, & manicata, qua forma nunc Doctores, olim cũ hoc primum in Collegio fuit institutum, etiam scholastici Bononienses utebantur, & focali quod dicitur caputeus, ex hyacinthino panno, qui morellus uulgo nuncupatur, qua ueste nullus collega carere possit, sed eam in collegio habeat si secus fecerit sex libris multetur. Quibus uestibus, & focali semper uti debeant quocũq; siue ad scholas, siue per urbem, iuerint, & quacuncq; hora diei. Quod si aliquis scholaris aliter, ac dictum est inceserit Rectorq; de hoc legitimam probationem habuerit expellatur a Collegio. Domi uero ueste nigra utantur, qui secus fecerit, ueste ipsa facello multetur. Permittimus, tamen, ut si ne tali ueste, & focali, quod est insigne Collegij equitare liceat iusta de causa. Quod si duo uel plures scholares uiderint tertium cum pallio, quod capa uulgo dicitur, uel simili habitu intra muros Bononien. incedentem, etiam si in agrum uellit exire animi relaxandi gratia, teneantur statim Rectori denuntiare, secus facientes in contien- tia teneantur restituere quidquid talis scholaris a Collegio habuit, & habiturus est: quorũ denuntiatio, ut plena probatio habeatur. Qui denunciantes si falsi testes reperti fuerint, pœna talionis puniantur, & damnum expulso a Collegio prout Rectori, & consiliarijs uisum fuerit, resarcire compellantur, Rector autem expellatur a Collegio si negligens

fuerit in hijs pœnis exequēdis, siq̄ excōmunicatus lata sententia si sciēs dissimulauerit, & Vice Rector ad eadem teneatur, prohibentes etiam omnibus supradictis collegialibus portare siricum, terceneleium, taphe tanum, tabiquinum, fustetam, chamelotum, & quodcunq̄ aliud hijs simile granam quoq̄ cuiuscunq̄ coloris etiam in caligis uel bireto, annulos, quoq̄ aureos, & quodcunq̄ aliud præciosum, foderaturas etiam nõ nisi communes; si uero prohibitorum aliquo uti præsumpserit, & monitus per Rectorem infra tres dies in mediate sequentes non resipuerit, in pœnã periurij incidat, ac perdat quidquid prohibitum detulerit, & ecclesiæ Collegij aplicetur, pro secunda uice per annum a Collegio expellatur, & similiter prohibitum, quod de tulerit perdat, tertia uero uice a Collegio expellatur. Volumus tamen quod nunquam in aliquã istarum trium uicium scholasticus pœnam incurrat, nisi prius in qualibet ipsarum fuerit, ut supradicitur monitus per Rectorem, & punitus, etsi per tridũ in sua durauerit pertinacia, & si Rector monitionem huiusmodi facere remisserit, in fra octo dies postquam talis scholasticus publice deferre prohibita præsumpserit, ultra pœnã periurij, pœnã uiginti librarũ Bononiens. capsæ communi Collegij applicandarũ ipsũ Rectorẽ incurere uolumus: & nihilominus prædictus scholasticus ad obseruationẽ huiusmodi Statuti ut supra dicitur cõpellatur: rectori tamẽ liceat uti quibuscunq̄ uestibus præciosis de sirico siue de panno tantum, dum modo in locis publicis in quibus oportet alios scholasticos togatos incidere, idẽ Rector similiter ueste lōga tallari, & caputeo ex sirico semper utatur. Famulos uero non plus uno cubiculario uestiat, eumq̄ panno solum nigro, si secus fecerit, multa erit erario libre dũcente. Si uero fuerit uniuersitatis, Rector suo sensu utatur. Syndicos autem sindicantes monemus, ac per deum obtestamur, ut si cognouerint Rectorẽ negligentem fuisse in pœnis exequēdis ipsi adnotent, & in libro sindicatus conscribant, ac secundum formam huius Statuti condemnent.

STATVTVM XIIII.

De Candelis, & subsidio collegialibus suppeditando.

Item statuimus, ut in annos singulos cuiq̄ Collegialium ad uigilias, & lucubrationes uiginti quatuor libræ olei, uel candelarum dentur, uidelicet a mense Martio usq̄ ad Octobrem inclusiue in quolibet mense libra, & semis: in quolibet uero cæterorum mensum libræ tres. Ad alias uero necessitates ducati sex idest libræ Bonon. uiginti una cuilibet tribuãtur;

buantur: & huiusmodi pecuniam subsidium, seu prouisionem appellari uolumus; & ita intelligi omnia statuta, in quibus de prouisione, uel subsidio fit mentio. Quod subsidium tribus æquis partibus suppeditetur, in festo Omnium sanctorum, in festo Natalis domini, & in festo Resurrectionis, pro rata scilicet temporis, quo in Collegio præsentis, aut absentes, propter negocia Collegij fuerint: ante terminos uero dictos, & ultra tertiam partem in quolibet termino aliquid dari, & recipi prohibemus omnibus sub pœna perditionis eius, quod contra quàm cauetur hoc statuto datum, uel receptum fuerit: nisi forte aliquis esset discessurus à Collegio, nec breui forsitan reuersurus. Statuentes tamen sub prædicta pœna, ut nunquam aliqua pars ex dictis tertiis in aliquo prædictorum terminorum detur Collegialibus nisi prius fuerint soluta omnia debita quæ Collegium usq; ad illud tempus contraxerit, & nisi ad fabricam, & gradus collegialium salariumq; officialium soluenda, de quibus infra dicitur pecuniæ omnino prius reponantur. Et ne ciues Bononenses possint conqueri de Collegialibus coram alijs iudicibus, Rector creditoribus ipsorum collegialium apud se conquerentibus, & huiusmodi sibi debita probantibus ex his tertiis subsidij, nisi aliter inter ipsos creditores, & debitores coram ipso conuenerit, satisfacere teneatur.

STATVTVM XIII.

De indumentis octennio toto tribuendis.

Item statuimus, ut cuiuslibet Collegialium in toto octennio dentur expensis collegij duo focalia, siue caputei uocati, ex hyacinthino panno, qui uulgo morellus appellatur: & caputeus fiat quilibet ex uno brachio cuius ualor libras quatuor Bonon. non excedat. Quorum focalium alterum detur in admisione cuiusq; alterum peracto quadriennio. Item statuimus ut si solutis omnibus Collegij debitis circa mensis Aprilis finem pecuniæ supererunt in ærario, de prædictis pecunijs detur una uestis in toto octennio cuiuslibet collegiali, qui trienniū ab admisione sua studens in Collegio peregerit, modo ne id tempus absentia sex, aut amplius mensium coniunctim, aut diuisim fuerit interpellatum, tunc enim tantundem post triennium expectari uolumus. Sit autem uestis ex panno nigro brachiorum octo, cuius brachij ualor libras tres Bononienses non excedat. Quod si omnibus, qui tertium annum (ut dicitur) peregerint pecuniæ forte non suffecerint, tunc antiquissimi quiq; secundū admisionis tempus, dummodo iam collegiales esse non desierint, cæteris

T E R T I A

in assecutione huiusmodi uestium præferantur. Et si duo uel plures fuerint simul in collegium admissi, sit locus gratificationi arbitrio Rectoris, & maioris partis consiliariorum, hoc tamen semper seruato, ut propter prædictas uestes circa depositum fabricæ, & supplementum de arario, de quibus infra dicitur, fraus aliqua non committatur; secus facientes pœnam Periurij, & priuationis prædictarum uestium ipso facto tantam, quam recipientes incurrant, Et nihilominus quicquid fuerit in fraudem præmissorum attentatum, per uisitationem in mense Maio proximo corrigatur. Statuentes, ut quicumque uendiderit frumentum, siue suffragetur, ut uendatur minoris, quam probabiliter speratur oportuno tempore uendi posse, cupiditate uestis consequenda, illius anni subsidio, & ueste prædicta eo ipso sit priuatus: nisi abundantia, seu uitium frumenti, aut alia causa probabiliter suaderet, posse incurri damnum si reseruetur. Declarantes statutum hoc ad Capellanos non extendi.

STATVTVM XV.

De subsidio Collegialibus ad gradum præstado, ac disputatione per ipsos habenda prius intra Collegium, & extra publice, & cautione præstanda.

STatuimus, ut si quis Collegialium propter inopiam, gradum Magistri, seu Doctoris in facultate, ad quam fuerit admissus, consequi non possit à Rectore Collegij, & Consiliarijs, de pecunijs ad hoc repositis, ei subueniatur hoc modo. Qui habuit cathedram publicam in uniuersitate in iure canonico, seu medicina, propter quam datur gradus huiusmodi gratis, huic datur duodecim libræ Bonon. ad tubas, & bellaria. Theologo uero, in qua facultate Bononiæ non dantur Cathedræ, quindecim scutata aurea. Ad gradum in iure canonico, ei, qui non habuit cathedram decem & octo scutata aurea. Medico, si non habuerit cathedrâ, quindecim scutata aurea. Nec obstat prædictis, si quis eorum in iure ciuili, seu in artibus, propter cathedram publicam sine impensa collegij gradum obtinuerit. Qui uero suis pecunijs obtinuerit gradum si cum tubis & pompa redire uoluerit, datur ei quatuor libræ: & si uoluerit inuitare aliquos externos in collegio, Rector, & Consiliarij de pane usque ad unum corbem, & de uino usque ad duos subministrent: qua ultima liberalitate utendum esse statuimus, non solum erga Collegiales eius temporis, sed etiam in eos qui aliquando fuerint collegiales, non tamen sua culpa pulsati collegio, seu priuati, si accepto gradu Bononiæ Collegio sufficientiam eorum

eorum approbante, cum tubis, & pompa uenerint ad Collegium. Nam eo die ipsos Collegiales esse, & pro talibus habendos decernimus, & declaramus: & quocumq; privilegio, siue prerogatiua gaudere debere, ac si graduum accepissent cum essent superiore tēpore collegiales. Declarātes supradicto subsidio debere frui eum, qui in collegio per quadriēniū completum studuerit, & iurabit se non posse sumere dictum gradum propter paupertatem, quiq; disputauerit publice intra Collegium, & extra in scholis, aut fano sancti Petronij præsentibus pluribus doctoribus, & scholasticis, cautionemq; sufficientem præsiterit, intra quatuor dies post susceptas pecunias se ordinarium examen doctorum subiturum: & si ab his approbatus non fuerit, seu gradum non obtinuerit, pecunias restitutum collegio. Et si approbatus gradum assecutus fuerit uenturum ad collegium cum Tubis, comitatu, & pompa (ut moris est Bononiæ.) Sine quibus cautione iuramento, & disputationibus pecuniæ non dentur. Nolumus tamen quocumq; prætectu huiusmodi subsidium iis à collegio subministrari, qui simul fuerint Collegij, ac uniuersitatis Rectores, & ab eadē uniuersitate aliquos gradus, ut moris est, acceperint. Cæterum ne forte contingat, aliquem collegialē minus doctum id consequendi huiusmodi muneris, seu alia quauis causa attētare, Statuimus, nequis collegialis repetere, aut disputare publice permittatur extra collegiū, nisi prius cōclusiones, quas extra publice disputare cogitat, intra collegiū (ut est moris) aliquibus contra disputantibus, sustinuerit, & iudicatus fuerit à maiori parte Collegij ad eas sustentandas idoneus, & sufficiens esse: de quo iudicio, non ferantur suffragia aliter quam per fabas albas & nigras, iuramento prius à collegialibus singulis in manibus Rectoris præsposito, quod nihil dantes odio, amori, precibus, suffragabuntur ei, aut refragabuntur, & hæc forma suffragandi obseruetur in omnibus causis, in quibus uertitur præiudicium tertij.

STATVTVM XVI.

De honore impedimento collegialibus gradum sumentibus, & ineunda ratione, si sint plures, & pecuniæ non suppetāt cunctis gradum sumere uolentibus.

Item statuimus, ut Rector, ac collegiales omnes, & Capellani teneātur honorare, & comitari, maxime in redditu post susceptionem gradus, magistrum, seu doctorem, ut supra pro motum: etiam illū qui suis pecunijs promotus fuerit, & præsertim si ad collegium cum pompa tu-

T E R T I A

biq̄ redierit. Et si forte plures essent in Collegio, qui uellent promoueri subsidio Collegij, nec pecuniæ ad hoc repositæ sufficerint omnibus, tūc primo prouideatur illis, qui fecerint publicas Repetitiones, & habuerunt Cathedras publicas, prout superius est expressum; quippe quos apertius constat in studiis laborasse, tanquàm in uinea Domini. Et sic in præstando huiusmodi subsidio, semper ij præferantur, qui laborauerint impensius erga literas, & in suis facultatibus magis profecerint, tales enim cæteris anteferri in huiusmodi subsidio uolumus, de quo stetur iudicio maioris partis collegij per fabas albas, & nigras, ut supra cum iuramento.

STATVTVM XVII.

Quandiu Collegialibus liceat in collegio commorari.

Item statuimus, ut Collegiales in collegium admissi possint per octo, duntaxat annos cōtinuos commorari: quamobrem nemo deligatur ad publicum munus, siue officium, in mense Maio, aut alio, si tempus abeundi officium sit longius residuo temporis quo poterat ille, aliàs in Collegio permanere, ut improbis conatibus obuietur eorum, qui callide conātur ea ratione tempus sibi præscriptum producere, quibus octo annis cōpletis quilibet à Collegio discedere teneatur. Et si quis discedere aliquo prætextu recusauerit, uel admonitus quoquomodo resisterit continuo per Rectorem & consiliarios, & totum Collegiū, sub pœna Periurij, quam incidant ipso facto negligentes penitus expellatur. Concedimus tamen, ut qui fuerit Rector, aut Oeconomus, uel utrumq̄ semel, aut sæpius propter labores, & temporis dispendia, habeat unum annum ultra cæteros: quo perinde, ut ante sit, & habeatur Collegialis. Declaramus in super, quod si semel receptus uigore unarum literarum tempus suum compleuerit, uel id quouis modo explicauerit, nullo modo petens iterum uigore aliarum literarum se in Collegium admitti, recipiatur, sub pœna Periurij, & expulsionis à Collegio ipsi recipientibus imminente receptionem talem irritam decernentes.

STATVTVM XVIII.

Quid faciendum sit si collegiales uectigalibus augeantur.

Item statuimus, & declaramus, ut si quis collegialium postquàm fuerit in Collegiū admissus uectigalibus, seu redditibus annuis ad summā Ducatorū

Ducatorum aureorū trecentum, siue ex patrimonio, siue ex sacerdotiis, aut rebus similibus auctus erit obtenta possessione, aut si per ipsum steterit, quominus obtinuerit, intra duos menses Collegium exire, & alteri cedere teneatur, sub pœna Periurij, computandos a die notitiæ habitæ possessionis pacificæ, & eum ad restitutionem duplicem eorum, quæ ultra prædictum terminum à collegio acceperit, ipso iure obligari uolumus, licet à Rectore, uel alijs ignoretur, nisi infra sex menses, a die prædictæ notitiæ numerandos, spes certa esset ipsum ad doctoris gradum ascensurum in ea quam proficetur facultate: tunc enim uolumus ipsum usq; ad gradus susceptionem in collegio permanere, quæ intra dictum tempus Bononiæ cum ordinario examine sumere, & ad collegium cum tubis, & pompa, honorifice redire suis expensis, præstita idonea cautione, teneatur: quæ cautionem idoneam, Rector, & Consiliarij, sub pœna Periurij, & priuationis collegij intra dictos duos menses recipiant. Nec huiusmodi collegialis à die prædictæ notitiæ habitæ possessionis, collegialium subsidio, pecunia ordinaria, & extraordinaria, de qua inferius dicitur, fruatur. Rectori tamen, quantumcunq; diuitijs augeatur, menses nec ad exitum, nec ad cautionem præstandam imputentur, donec fuerit magistratu fundus.

Per.

59

Per.

STATVTVM XIX.

De licentia dandâ, seu denegandâ, præsertim mense Aprili, Collegialibus, ut absint à Collegio: & quando possint abesse, ac quod nullus ad locū absentis in Collegium possit admitti.

Item statuimus, ut si quis collegialium propter aliqua sua, uel pareniū aut consanguineorum negocia Romam, uel Hispaniam, uel alio ire uoluerit, Rector cum consiliarijs, uel maiore ipsorum parte præbeant ei copium quoties illi opus fuerit, ut à Collegio ab esse possit: continenter tamen per sex duntaxat menses, intra quos, si non redierit, sit ipso iure priuatus collegio, nisi forte procurator ipsius ad hoc per suas priuatas literas, aut alias nominatim constitutus, aliorum sex mensium dilationem obtinuerit: quam ipsi, constituto de mandato, concedi uolumus; dum tamen ultra annum continuum, uel alias ultra annū cum dimidio in toto suo octennio in omnibus absentijs per ipsum petitis, & cōcessis non possit ab esse ullo modo: alias sit eo ipso priuatus Collegio. Si tamē propter negocia Collegij procuranda, fuerit aliquis missus, tūc abesse possit, quandiu ad negocia expediēda fuerit opus, nec tēpus in negocijs

Collegij consumptū imputetur ei ad octennium, Et sic absens fruatur
 omnibus subsidijs, & commoditatibus Collegij, præter portiones, oleū,
 siue candelas, & facelli distributiones quotidianas, perinde, ac si adesset
 in Collegio. Prædictæ autem licentiæ in libro ad hoc deputato per or-
 dinem cum die, mēse, & anno, similiter, & dies recessus, & redditus eius
 manu Rectoris, sub pœna Periurij describantur. Prohibētes, sub pœna
 expulsionis à Collegio Rectori, & consiliarijs aliquem ad locū cuiusuis
 supradictarum personarum absentium, antequam uacent in collegium
 admittere, nec cū pacto quidem, ac iuramento, quod adueniētibus illis
 personis cedit continuo, & soluet expensas, & alia omnia à collegio ac-
 cepta. Declarantes admissionem contra prohibitionem hanc factā, nul-
 lius penitus esse momēti; & nihilominus omnia quæ sic receptus habuit
 à Collegio soluere, qui eum admitterint, ipso iure teneatur. Item quia
 nonnulli collegiales circa tempus electionis, Rectoris, uel aliorum offi-
 cialium à Collegio ad tēpus discedunt, ex quo non modica damna col-
 legio eueniri possent, ideo statuimus, ut nullus supradictorum Collegia-
 lium mense Aprili, Bononiæ existentium, abire possit à dicta urbe, animo
 subterfugendi supradictam electionem, quousq; mēse Maio electiones
 Rectoris, & aliorum officialium sint factæ, nisi probabilis, & iusta causa
 interuenerit, de qua fidem prius faciat, saltem per iuramentum Rectori,
 & consiliarijs, se non idcirco discedere, ne intersit electioni. Et si poterit
 uēturum ad eam: contra uero facientes, uel, se, quoquomodo prædictis
 officijs, seu eorum electioni subtrahentes, sint ipso facto Periurij. Et ni-
 hilominus si de hoc cōstiterit, pœna ducatorum quinquaginta appli-
 candorum capse communi mulctentur.

STATVTVM XX,

De Lectionibus quotidianis: & opera studiis impedenda.

Item sancimus, ut usq; ad sex in Collegio completos annos omnes, &
 singuli collegiales, præter Doctores, post quadrienium collegij rite fa-
 ctos, & Rectorem, audiant quotidie lectiones suas ordinarias, nisi legiti-
 ma causa eos impediatur. Theologi uero (quia non habent in scholis le-
 ctionem ordinariam) audiant, uel in sancti Dominici, uel in sancti Fran-
 cisci monasterijs monachos doctores ibidem ueteri ipsorum instituto
 Theologiam docentes: in quo qui delinquerint, arbitrio Rectoris, &
 consiliariorum, puniantur. Et si quis in collegio, ut debet, non studue-
 rit, & post tertiam monitionem per Rectorem, & consiliarios illi fa-
 ciendam,

ciendam, quam sub pœna librarum decem intra decem dies post quàm eis constitit, facere teneantur, noluerit literis incumbere ut debet, teneantur sub prædicta pœna hos ad uisitatorem deferre, qui etiam extra tempus uisitationis cognita ueritate ipsum expellat a Collegio.

STATVTVM XXI.

De humaniorum literarum lectione in Collegio legenda,
ac latine loquendo.

Item statuimus in Collegialium commoditatem, ut uir aliquis humaniorū literarum cognitione præstans conducatur, qui aliquem eius facultatis librum in collegio publice interpretetur eo anni tempore, cum opportunius collegio uidebitur, per unam horam cuiusq; diei. Quam lectionem audiant omnes, & singuli collegiales, alioquin portione eius diei mulctentur, & qui sæpe defuerit, grauius etiam arbitrio Rectoris puniatur. Rectori autem sub pœna Periurij præcipimus, ut antequàm prædicta lectio incipiatur, quolibet anni principio, quid sit legendum ad collegium referat: & quod pluribus uisum fuerit, id ceteri collegiales sequi teneantur. In lectoris autem salario, Rector, & consiliarij possint ex pecnnia collegij expendere usq; ad summam triginta & sex librarum Bononiensium. Sed ut major inde fructus sequatur, præcipimus ut omnes collegiales ubicunq; publice conuenerint ad aliquid de liberandum, uel alias in disputationibus quibuscunq; etiam priuatis. Item nocte post fores clausas, ubicunq; conuenerint aliqui, latine loqui teneantur. Contrarium uero facientes, arbitrio Rectoris, & consiliariorum puniantur.

Per.

STATVTVM XXII.

De Regimine Cathedræ Theologiae, & immunitate regētis

Item statuimus, ut in collegio sit una Cathedra Theologorum, ad quam regendum, docendumq; nullus nisi Theologiae magister, uel saltem Bachalarius formatus, in eadem possit assumi: qui à Rectore, & collegio deligatur. Et cum aliquis collegialis fuerit ad legendum idoneus, uel exercitij gratia docere uoluerit, etiam si minus sufficiens fuerit quam externus, nullus externus in Collegio possit docere, concurrendo in electione, uel in hora cū collegiali. Instituentes, ut nemo nec col-

legialis, nec externis doceat, exponendo duntaxat dictionē, uel textum, sed disputet etiam, siue exponat ex more aliquas utiles quæstiones. Si quis autem externus, defectu collegialium idoneorum, ad id munus fuerit delectus, atequam docere incipiat, coram Rectore, & maiore parte Collegij iurabit, se, quantum poterit, semper utilitati collegij, & honori consulturum; nec amplius Cathedræ, quam collegio placuerit, præfuturum. De quo iuramento fiat scriptura auctentica, si Rectori, & consiliariis uidebitur expedire. In assecutione uero huius Cathedræ, Magister in Theologia rigore examinis ordinarij Bononiæ creatus, præferatur in eadem Bachalario. Et si duo, uel plures fuerint Magistri, uel Bachalarii, præferatur, qui prius gradum Bononiæ (ut dictum est) receperit: nisi forte tanta esset præstātia posterioris, ut esset præferendus priori, quod iudicio Rectoris, & maioris partis collegij, consultis, Theologis, committimus. Quem Magistrum, uel Bachalarium Collegialem regentem omnes alij collegiales Theologi euntem ad disputationes, & alios actus publicos, qui in Scholis, uel in monasteriis fiunt, comitari teneant, & inobedientes, & delinquentes in hoc, arbitrio Rectoris, & consiliariorum puniantur. Qui regens omnis muneris, aut ministeriorum, quibus cæteri Collegiales implicantur, auertentium ab studio uacationem habeat.

STATVTVM XXIII,

De concionibus religiosis habendis in collegij Sacello.

Item Statuimus, ut Theologi, qui quatuor annos in collegio fuerint commorati, diebus solennibus, quibus Rectori uidebitur, in Ecclesia dum solennis missa celebratur (ut moris est) uicissim concionentur de religione, ac moribus differentes, in quo si quis Rectori nō paruerit, unius libræ Bononiensis pœna per ipsum Rectorem (iusta causa cessante) puniatur, quoties iussus non paruerit.

STATVTVM XXIII.

De exercitio literario.

Item statuimus, ut in toto anno, cunctis diebus Dominicis, præterquam tempore messis, & uindemiarum, & a Natali Christi, ad Epiphaniam, & a Resurrectione ad octauum inde diem, Collegialis secundum ordinem

ordinem cubiculorum, semper in orbem obseruandum, ac nullo modo interpellandum, facto initio superne à cubiculo primo, iuxta scalas ad sinistram, cubiculum Rectoris petentibus, infra ab eo, quod est triclinio proximū, conclusiones aliquot suæ facultatis, & eius materiæ, quæ ordinariæ in scholis legitur proponat, ac defendat, statim post cœnā, & gratiarum actionem, audientibus cæteris collegialibus, & capellanis, ad sonum campanellæ conuocatis: quas conclusiones pridie statim post prandiam in loco publico ante triclinij fores inscriptas, ad columnam proponat, nominibus collegialium, qui sunt contra disputaturi subscriptis, inter quos ordo seruetur arguendi, ut quo quisq; iunior sit in receptione ad collegiū, hic prius argumentetur, & doctores eodem modo, secundum sui gradus antiquitatem, ordine præpostero, & Rector, qui prædictæ disputationi omnino interesse debet, ipsam moderetur, & terminet, iuxta mensuram temporis, & arguentis, ac respondentis conditionem, quam disputationem in alium diem differre non possit, nisi aliqua urgens causa subsit, super quo eius conscientiam oneramus, ei pœna proposita, ad quem ordine cubiculorum pertinebit, & conclusiones, ut prædicitur, non proposuerit, ac sustinuerit unius libræ Bononiensis, pro prima uice, & nihilominus idem teneatur die proxima ex destinatis, conclusiones sustinere. Et si secundo fuerit negligens pœna dupli multetur. Et nisi deinde proxima die ex eisdem huc destinatis sustinuerit, ad annum Collegio pellatur. Si uero aliquis ex argumentaturis id minus omiserit, pœna quinque solidorum puniatur: quas pœnas (iusta, & legitima causa cessante) si Rector exequi quoquomodo neglexerit (monitione præmissa) uinculo excommunicationis latæ sententiæ, sit eo ipso ligatus.

Pœ.

Pœ.

Pœ.

Ex.

QUARTA DISTINCTIO,



Equitur Quarta distinctio, de electione Rectoris, & consiliariorum Syndicorum, & Oeconomi, ac Collegialium, qui mittuntur ad possessiones messis, uindemiarumq; causa: & de singulis eorum officijs circa gubernationem Collegij, & administrationem rerum ipsius, tam intra, quàm extra muros Bononiæ; & de ministris Collegij, ac de protectoribus, & uisitoribus eiusdem, & aliis omnium supradictorum materiam tangentibus.

STATVTVM PRIMVM.

De electione Rectoris.

Item sancimus, ut Rector deinceps in hunc modum deligatur. Cal-
 lendis Maij quo die Rectorem semper eligi uolumus, omnes, & singuli
 collegiales, qui tunc in collegio aderunt, mane antequam collegij ia-
 nua aperiatur, quam ante electionem praedictam aperiri nolumus, con-
 tinuo post missam Spiritus sancti, qua dicitur in aurora, in unum, sub poe-
 na Periurij, in sacello sacratio, siue Sacristia, ad pulsus campanae conue-
 nient, ita ut hora pro homine interpellat. Quorum si quis uocatus, &
 admonitus uenire recusauerit, ultra poenam Periurij pellatur a Colle-
 gio ad duos annos. Et eis in unum sic congregatis, palam ipsis, & No-
 tario, ac duobus saltem Capellanis collegij, testibus, Rector ex paruis
 scedulis ex pergamena charta sua manu scriptis, & a se prius alta uoce
 lectis, coram omnibus, nomina, & cognomina collegialium continenti-
 bus, qui post ipsorum admissionem, saltem sex menses in collegio com-
 pleuerint, praeter Rectorem ipsum, & eos qui fuerint maiorem anni par-
 tem consiliarij, & oeconomum, cara inclusis, pilulas faciat, illasq; sigil-
 latim in peluim aquae mittat, in unaquaque cum mittitur, nomen inclusum
 enunciando. Ex quibus pilulis saepe reuolutis, unus ex praedictis Capella-
 nis, oculis opertis, decem extrahat sigillatim, & alijs reiectis, iterum has
 decem pilulas in peluim separatim reponat, & rursus ex ipsis tres singu-
 latim per eundem Capellanum extrahantur, & scedulae inclusae alta,
 & intelligibili uoce ab ipso rectore legantur, & publicentur. Et schoola-
 stici tres in eis contenti duntaxat, eligendi Rectorem liberam habeant
 potestatem. Qui electores antequam ad praedictam electionem facien-
 dam accedant, iurabunt in manibus Rectoris, tactis sacro sanctis Euan-
 gelijs, se nihil dantes commodo suo, odio, praecibus, uel amori, iuxta
 haec statuta electuros, quos ad regimen, & gubernationem collegij per-
 sonarum, & bonorum ipsius crediderint, & reputauerint meliores, ac
 magis idoneos. Praterea omnes, & singuli Collegiales, qui aliam in Re-
 ctorem eligi possent, an clerici sint, & attigerint saltem. XXV. aetatis
 annum, iurati confiteantur, Laicum enim & ea aetate minorem, & qui
 non fuerit Collegialis, saltem duos annos completos inhabilem, tam ad
 Rectoris, quam uice Rectoris minus esse decernimus, quibus iuramen-
 tis praestitis in dicto loco electores tandiu soli reclusi maneant, donec
 habita inter eos diligente consideratione, ac deliberatione omnes, aut
 saltem ipsorum duo de tribus personis conuenerint iuxta haec statuta

eligendis, nullo iterum cibo, potuq; alendi qua electione (ut prædicitur) facta, & in scriptum redacta, & eorum subscriptionibus roborata nomina, & cognomina ipsorum, qui fuerint electi per ipsos electores includantur in tribus cæreis pilulis, quæ conuocatis omnibus collegialibus ad souum Campanellæ, & ibi præsentibus ponantur iterum in peluim aquæ, & per aliquem ex Capellanis clausis, opertisq; oculis in præsentia Notarij, & capellanorum supradictorum, una ex illis tribus pilulis extrahatur, & per Rectorem aperiatur, & qui fuerit contentus in ea sit Rector habeaturq; & obseruetur, aliæ duæ pilulæ, una cum scedula Rectoris electi à Notario prædicto accipiantur, ita ut nullus alius (sub pœna Periuurij si quis enunciauerit) scire possit nomina alia inclusa in dictis duabus pilulis, quæ per ipsum Notarium, & duos saltem electores, uicario Episcopi Bononiensis eodem die deferantur, ut cognoscat formam statutorum collegij electionem fuisse seruata. Ex ipsis tamen tribus electoribus nemo eligatur in Rectorem, alàs electio irrita sit ipso iure. Prohibemus etiã ne electores, seu ipsorum aliquis, sub pœna Periuurij, & priuationis Collegij, ante huiusmodi electionis publicationẽ per se, uel per alium publice, uel occulte uerbo, aut scripto, seu alio quouis modo audeat communicare, siue colloqui cum alio, præterquã cum suis coelectoribus. Eandemq; pœnam incurrat quicumq; aliorum tentauerit communicare, seu colloqui cum prædictis electoribus, seu eorum aliquo ante huiusmodi electionis publicationem. Sed nec ex tribus electoribus duo inter se, tertio non interueniente, de eodem negotio electionis tractare aliquid audeant alioqui, uel si in ipsa electione dolum aliquem interuenisse constiterit, dictis pœnis subiaceant: aliter autem electionem, uel ex alijs collegialibus, quã (supradictum est) factam, irritã ipso iure esse decernimus, & nullius penitus momenti, si tamen omnes tres electores, unum aliquem, quem maxime idoneum, & ad id munus accommodatissimum iudicauerint, deligendum solum putauerint, liceat eis, & qui ab ipsis sic fuerit electus Rector sit, atq; ab omnibus habeatur. Si uerò non omnes tres conueniant in unum, sed in duos eorum duorum nomina cæreis pilulis, ut supradictum est, inclu-

dant. Et cuius nomen fuerit extractum, is Rector ab omnibus habeatur. Sed aliquo trium electorum dissentiente, fiat electio de tribus, ut supradictum est, aliàs sit irrita, & inanis.

Per.

Per.

Per.

STATVTVM SEGVNDVM.

De non recusando officio ab eo, qui fuerit Rector declaratus, ac eius confirmatione petenda, & iuramento per Rectorem praestando.

Item sancimus, ut facta, quemadmodum statuto superiore cauetur, electione, ipse Rector electus eadem die, sub poena priuationis collegij, quam secus faciendo incurrat ipso facto, consentire coram omnibus de collegio, uel maiore parte necessario teneatur: nec in hac parte aliqua eius excusatio admittatur, Et die postero, consilijarii, qui tunc temporis erunt, ipsum electum ad Reuerendum patrem dominum Episcopum Bononiensem, seu eius uicarium generalem (ad quem primum, ipso uero, & uicario negligente, ad priorem monasterij sancti Michaelis in nemore, extra muros urbis Bononiensis, electionis huiusmodi confirmationem declaramus pertinere) debeant fideliter sub poena Periurij deducere, & postulare, ut sic electum in dicto officio placeat confirmare, qui uisis electione, & praesentatione praedictis, receptoq; a sic electo prius per sancta dei Evangelia iuramento, ipsum hac statuta bona fide cunctisque uiribus inuolabiliter obseruaturum, ac ut a caeteris seruentur, quantum in ipso fuerit effecturum: & commissum sibi officium, & administrationem omni odio, praecibus, & amore postpositis, & omni fraude exclusa fideliter obituum: iura, & libertatem collegij defensurum, & bona ipsius fideliter conseruaturum, & de sua administratione, rationem, ac debitam, & plenam satisfactionem redditurum: & tunc eundem in Rectorem sine aliqua cunctatione confirmet, nisi forte ex aliqua iusta, & probabili causa confirmationem huiusmodi duceret dene-gandam. Quod si electio talis fuerit legitime damnata, siue quasata, eligendi alium in forma supra dicta collegiales liberam habeant potestate: in qua electione obseruentur omnia, quae superius sunt expressa. Et si forte malitiose, uel propter discordiam, aut alias electio huiusmodi per dictos scholasticos ultra decem dies differatur, ipse solus, ad quem confirmatio spectabit, siue electione ea uice tantum prouideat de Rectore: dum tamen prouideat de Hispano, & de collegij corpore, & non externo. Confirmatione uero electionis secuta, uel alia prouisione, ut superius est dictum, omnes, & singuli collegiales, & capellani, officiales, & alij domestici collegij, sub poena priuationis a Collegio, nouo Rectori praesent per sancta Dei euangelia iuramentum, se illi in licitis, & honestis obtemperaturos: quo praestito cubiculum Rectoris cum supelle-ctile, &

tile, & omnibus rebus ad id pertinentibus, clauēs collegij, & omnia illa, quæ spectant ad Rectorem eidem protinus consignentur ab ijs, penes quos tunc temporis erunt, & ipsi de omnibus ad cubiculum Rectoris pertinentibus inuentarium faciant.

STATVTVM TERTIVM.

Quod Rector collegij possit esse uniuersi Gymnasij Bonon. Rector, & in absentia sua uice Rectorē collegij dimittere, & de eius salario

STatuimus, ut Rector collegij possit esse rector etiam uniuersi Gymnasij Bononiensis, nec alius quisquam ex Collegio: & tunc ab ipso Rectore collegij sufficientem cautionem præstari uolumus, quod collegium seruabit indemne, si causa regiminis dicti gymnasij collegium damnū aliquod fecerit. Prætexto autem, siue occasione dicti officij uniuersitatis nihil penitus, sub pœna Periurij, præter tres corbes uini de rebus Collegij habeat quoquomodo. Præterea Rectori liceat suas lectiones ordinarias audire, uel pro suo arbitratu ab audiendo cessare, dummodo officium suum bene, diligenter, fideliterq; exequatur: qui si forte in Hispaniam, Romam ue, aut aliorum, paulo diutius abfuturus proficisci uelit, possit ipse cum consiliarijs, uel eorum maiore parte uice Rectorem dimittere idoneum ad tempus absentia suæ, dummodo uice Rector ipse, & Consiliarij pro ipso rectore, nisi aliàs ipse Rector idoneam cautionem præstitisset de seruando collegium indemne in syndicato iudicatum solui, maneant obligati. Alioqui, ipsis se nolentibus obligare, uicerector forma superius tradita de electione Rectoris eligatur. Nullam tamen prorogatiuam in uestitu, nec in omnibus alijs habeat, ac si fuisset simplex, collegialis excepto, quod in licitis, & honestis, & in omnibus obediatur, ut Rector, eiusq; locum in sedendo teneat, ac famulum possideat, & quātum temporis occupatus fuerit in dicto officio habeat stare in collegio ultra suum octonarium, idq; minus habeat Rector pro quo seruerit, salarium nullum uicerector habeat, nisi menses quatuor compleuerit in suo officio, quia tunc uolumus quod tam præteriti, quā futuri temporis pro rata habeat ex salario Rectoris: Si uero minus fuerit, uice rector nihil habeat salarii, sed ipse rector, ac si non affuisset integrum suum recipiat. Si tamen Rectorem contingat ad paucos dies abesse a Collegio, tunc uolumus oconomum in cunctis loco eiusdem manere. Habeat Rector pro salario sui anni regiminis ultra, commune subsidium, si idoneam cautionem præstiterit de seruando collegiū

Per.

Q V A R T A

indemne libras centum triginta Bononienses, ex quibus teneatur expēdere, in uestes quibus collegium honoretur, saltem centum. Cuius quidem salarij tertia pars in principio eius officij solvatur, tertia in principio studij, reliqua non detur nisi in fine syndicatus, post redditam ab eo de omnibus ad suum officium spectantibus, plenam rationem.

STATVTVM QVARTVM.

De electione consiliariorum, & eorum iuramento, & salario.

STatuimus, ut tertio die Mai omnes, & singuli Collegiales ad pulsam campanellæ, sub pœna Periurij, ad electionem Consiliariorū, & Syndicorum hora, & loco, electioni Rectoris deputatis cōueniant: & rector ex paruis scedulis manu sua scriptis, & à se prius intelligibili uoce corā omnibus lectis, & nomina, & cognomina collegialium continentibus, qui saltem ante annum integrum in collegium fuerint recepti, preter Rectore, & consiliarios superioris anni, qui maiore parte anni consulendi munere functi fuerint, cara inclusis pilulas faciant: & primo assumantur ex eis, pilulæ nomina Theologorum continentes, & in peluim aquæ (ut dictum est) mittantur, & ex eis bene reuolutis, una per aliquem ex Capellanis extrahatur pilula, & scedula inclusa legatur, & publicetur. Deinde uerò, ex canonistarum pilulis similiter in peluim missis, duæ extrahantur sigillatim, & legantur, & publicentur scedulae inclusæ. Post modum autem ex pilulis medicorum, una tantum similiter pilula extrahatur, & scedula inclusa publicetur. Et quorum nomina fuerint in his pilulis extractis, ij sint eo ipso, habeanturq; Consilarij. Et si contingat collegiales ex singulis facultatibus deesse, ut non sint tres numero in unaquaq; earum, inter omnes mittatur fors. Si quis autem ex Consiliarijs prædictis recedet in totum, uel aliàs eum legitime a collegio ab esse cōtigerit, Rector & alij tres, aut duo, si duos ab esse contingeret, possint alios illorum loco subrogare; pro quibus ipsis, Rector, & alij remaneant obligati: Si quid ratione officij sibi commissi forsan collegio tenerentur: alioquin per omnes collegiales eligantur, uel per maiorem partem. Qui omnes consilarij in manibus Rectoris, tactis sacro sanctis Euangelis, iurabunt, statim se huiusmodi statuta bona fide seruaturos, ac ut ab alijs seruentur curaturos, quantum quidem ad munus susceptum pertinebit. Et in huius administratione diligentiam, ac fidem adhibituros, nec odio, amore, præcio, aut precibus ab officio, uel iustitia discessuros: quorum

quorum quisque pro suo salario, ultra commune subsidium, seu prouisionem, sex libras Bononienses habeant, soluendas in terminis supra in prouisione communi constitutis.

STATVTVM QVINTVM.

De electione Syndicorum, & eorum iuramento, & salario.

Post prædictam consiliariorum electionem, statim ad electionem Syndicorum procedatur, hoc modo. Omnes aliæ residuæ pilulæ Theologorum, Canonistarum, & Medicorum misceantur, & in peluim aquæ separatim reponantur, ex quibus duæ pilulæ extrahantur, & scedula inclusæ, sicut de alijs dictum est, legantur, & publicentur. Et quorum nomina scripta in eis reperientur, hi sint eo facto habeanturque Syndici, qui syndicantes nominantur, modo ne quis eorum sit, qui aliquo anni superioris tēpore, aliquod exercuerit officium, etiam prioris syndicus mensis Nouembris, nam horum neminem tunc uolumus esse syndicum, sed ut eo casu iterum alia pilula extrahatur. Et similiter scedula in ea contenta publice legatur, & cuius nomine ea fuerit inscripta, is eo ipso sit Syndicus. Alij uero Syndici, qui uocantur adnotantes quolibet anno in festo Omnium sanctorum, nocte, post cœnam, Cāpanellæ Collegii pulsata, eligantur hoc modo. Rector ex paruis scedulis manu sua scriptis, ac prius ab ipso corā omnibus, alta uoce lectis, & in urnā missis nomina, & cognomina collegialium continentibus, qui saltē ante sex mēses in Collegiū fuerint admissi, exceptis Rectore, & cōsiliariis, ac Oeconomo, per aliquem ex domesticis Collegii, duæ scedulae singularim extrahantur, & per Rectorem legantur, & publicentur, & quorum nomina in eis scripta reperientur, ij eo facto, habeantur, & sint Syndici adnotantes, qui omnes Syndici post ipsorum electionem continuo iurabunt tactis sacro sanctis Euangelijs se omnibus odio, amicitia, præcio, & precibus, postpositis rationes de omnibus redditibus, fructibus, prouentibus, expensis, gestis, & administratis per Rectorem, & consiliarios, ac oconomum, tam pro parte collegij, quam officialium prædictorum fideliter examinatuos, & conscripturos. Syndici uero syndicantes ultra modo dicta iurabunt, etiam se prædictorum omnium officialium omnia, & singula commissa, uel omnia manifesta, & notoria, quam diligenter poterūt in memoriam reuocatuos, & eos qui deliquerint, iuxta formam statutorum condemnatuos, & omnia fideliter ad Collegium, a

Q V A R T A

quo ipsorum sententiæ, etiam si discordes fuerint, uel confirmari, uel rescindi debent relatuos. Habeantq; pro labore syndici syndicates, libras quinque binas Bononienses. Adnotantes uero singulas, si bene, & diligenter officium suum administrauerint post lectum syndicatum.

STATVTVM SEXTVM.

De Electione Oeconomi, & eius iuramento, & salario.

STatuimus, ut Rector & Consiliarij antequam à prædicto sacristiæ loco recedant, unum Oeconomum diligentem, ac fidelem ex corpore Collegij, & non aliunde, & qui saltem unum annum completum fuerit in ipso, deligant, quos si cōtingat in electionis iudicio dissentire, iudē deligant duos, & nisi de duobus inter omnes conuenerit, eligant tres, quorum nomina pilulis ex more cōcludātur, & ex eis extrahatur unus, qui habeatur Oeconomus, qui oekonomus electus, sub pœna expulsionis à collegio eodem die munus suscipere teneatur, nisi iustam, & euidentem excusationem afferret. Et si oekonomum contingeret agrotare, aut alia iusta de causa impediri, uel officium ipsum aliquo modo uacare, tunc si Rector cum suis consiliarijs alicui Collegiali officium duxerit committendum, ille teneatur eis penitus obedire, donec oekonomus munus suum possit exercere, uel Rector & cōsiliarij, de persona alia Collegij duxerint prouidendum. Et si bonam rationem suæ administrationis reddiderit, satisfiat ei pro rata temporis, quo munus obierit. Habeatq; prædictus oekonomus pro salario eius anni, ultra commune subsidium, libras quadraginta Bononienses, soluendas in terminis supra de prouisione communi statutis, dummodo in principio, sui officij sufficientem cautionem præstiterit, de seruādo collegium indemne, usq; ad summam centum ducatorum, aliās Rector, & consiliarij maneāt pro ipso in solidum obligati, qui quidem eum elegerunt, non alij. Iurabitq; Oekonomus, simulatq; fuerit electus in manibus Rectoris, tactis, sacro sanctis Euangelijs præsentibus cōsiliariis, & aliquibus aliis collegialibus, & Notario se munus suum, & omnia quæ sibi committentur, absq; fraude fideliter obituum, & à Collegio non recessurum, donec de acceptis à se, & administratis, plenam reddiderit rationem, & de hoc iuramento publicum fiat instrumentum.

STATVTVM SEPTIMVM.

Quod nullus officialis in annum sequentem iterum diligatur, & de ambitu uitando.

STatuimus insuper, ut nullus Collegialis, quantumcunque idoneus fuerit, ultra annum in eodem officio manere, seu ad idem officium iterum in proximum annum eligi ualeat quoquomodo, uel assumi. Cōsiliariorum tamen in Rectorem, aut in Oeconomum, & oeconomum in Consiliarium assumi non prohibemus. Syndicus etiam adnotans a' nullo alio, præterquam syndicus officio, mēse Maio prohibitus intelligatur. Rector uero ad nullum officium consequenti anno assumatur. Si quis autem per se, uel per alium, seu alios uerbo, aut scriptis, Rectoris, uel aliud quoduis officium, ex prædictis ambierit, aut sibi, uel alij, seu alijs precio, precibus, uel fauore, uel alio quouis modo quesierit, ultra pœnam Periurij, quam incurrat, ad huiusmodi Rectoris, & alia quæcūq; domus, & collegij officia sit in perpetuum inhabilis, pro prima uice: & si postquam iam officium fuerit adeptus, de ambitu, dictisq; rebus constiterit, ultra pœnas modo dictas, officio priuatus salarium, etiam ex eo receptū, & unius anni prouisionem perdat, & restituere compellatur. Secundā uero uice ultra prædictas pœnas, Collegio in biennium priuetur, tertia penitus expellatur, nunquam in id modo aliquo recipiendus. Pœnas demum omnes supradictas incurrere uolumus eos quoq; qui talium consilia, siue conatus scientes Rectori, aut si Rector sciat, uisitori fideliter non indicauerit, & qui huiusmodi sanctionis immutationem, uel reuocationem tētauerint, curauerintue, quouis modo, uel etiā illi consenserint requisiti. Scientes etiam, & continuo uisitoribus, & alijs de Collegio non enunciantes. Et nihilominus irritum omnino, & nullius penitus esse momenti, quicquid contra prædicta omnia, uel eorum aliquid quauis autoritate contigerit attentari.

STATVTVM OCTAVVM.

De electione mittendorum ad possessiones tempore frugum percipiendarum, ac de eorum salario, & officio: Et quod nullus ibidem manere possit extra id tempus.

Item quia Collegio conducere uidetur, ut tempore messis, atq; uindemiæ, ad singulas possessiones, singuli collegiales mittantur, qui præ-

sint frugibus percipiendis, ideo statuimus, ut singulis annis, die undecimo Iunij, & Augusti quinto decimo, idest festis sãcti Barnabæ, & assumptionis beatæ Mariæ post cœnam, omnes, & singuli Collegiales ad pulsum Campanellæ uocati, sub pœna trium librarum Bononiensium, debeant conuenire in triclinium, exceptis Rectore & consiliarijs, & Oeconomio, ac alijs iusta de causa impeditis, mittendi per sortes, uel alias ad arbitrium Rectoris eligantur, cui rectori in hoc, quilibet Collegialis, cui iniunctum fuerit tale munus, sub pœna Periurij obedire teneatur, sic tamen, ut qui ad messem iuerint, ad uindemias ire (si alij sunt, qui non iuerint, & ire possint) nullatenus compellatur. Habeantq; singuli in singulos dies, quandiu ei muneri præfuerint, unum solidum Bononiensem, dummodo diligenter curent, ne in frugibus percipiendis, ipsiq; diuidendis, collegium damnum aliquod patiatur; qui collegiales omnium frugum perceptarum, ad collegiumq; missarum, rationem in uno libello clare, & aperte scribât, quem postea in ultimo syndicato, sub pœna trium librarum Bononiensium syndicis exhibeat. Præcipimus tamen sub pœna unius libræ Bononiensis, ne quis Collegialium in prædictis possessionibus ultra mensem, aut uindemias commoretur, uel alias ad ipsas possessiones animi causa, nisi aut tempore pestis, aut post morbum consilio Medici conualescendi causa, uel nisi aliquis propter multas occupationes ob Collegium susceptas, a literarũ studio fuisset auocatus: & huius damni resarciendi causa, uellet ab urbana frequentia secedere, aut alia iusta, & probabili causa, quam Rectoris, arbitrio committimus, quibus casibus possit prædictus collegialis uoluntate Rectoris ad certum tempus præscribendum a Rectore, & consiliarijs, ibidem manere, habiturus in singulos menses pro rata parte dimidium corbis frumenti, tantundemq; uini, & in pecunia numerata portionem, quam esset habiturus in collegio, ultra quod, si quis dederit, uel acceperit, etiam a socio Collegij, in syndicato soluere compellatur.

Pœ.

STATVTVM NONVM.

De iurisdictione Rectoris circa causas, & negocia collegialium, & ad quem ab eo possit prouocari.

Item quia magis è dignitate Collegij fuerit, commodiusq; collegialibus, ac item externis, ut causæ & negocia quæcũq; collegialium, capellanorum, & aliorum collegij domesticorum priuatim singulas personas attingentes, ibidem a Rectore diiudicari, quam coram alijs iudicibus,

cum

cum vexationibus, & ammissione studij, & nonnunquam dedecore partium agitentur, ipsarumque laboribus non modicis, & expensis. Ideo statuumus, ut quaecumque causa criminalis, civilis, seu etiam mixta, (lesæ maiestatis hæresis, & falsæ monetæ, causis duntaxat exceptis) quam aliquis etiam exterius contra aliquem collegialem, capellanum, uel seruitorem collegij mouere, seu intendere uoluerit, coram Rectore tractetur, simpliciter & de plano, sine strepitu, & figura iudicij. Et nullus alius adiri possit, seu quomodolibet se intromittere, & a Rectore iuste diiudicetur. Quorum si quis Rectoris sententiam in se latam, iniustam putauerit: Episcopus Bononiensis, uel eius uicarius generalis, uisitor collegij, & nullus alius uisitationis tempore, præstita idonea cautione, a Rectore, de iudicio sisti, eo tempore per se, uel per alium omni exceptione, & dilatione remotis, adeatur omnino, & non ante tempus prædictum, nisi eorum aliquis antea fuisset forsan discessurus, qui uisitor simpliciter, & de plano (ut supra dicitur) causæ ipsi appellatione remota (finem imponat) iustitia mediante. Quicquid autem contra huiusmodi ordinem fieri contigerit: irritum omnino, & nullius pœnitus sit momenti. Decernimusque, ut nullus iudex, quacumque etiam apostolica auctoritate sit munitus, nisi in sua facultate de hoc Collegio Hispanorum, ac de uerbo ad uerbum, de statuto huiusmodi specialis, & expressa mentio fiat, se possit de prædictorum causis, negotijs, uel rebus, uel de alijs quibuscumque prædictorum, aliquod quoquomodo tangentibus, quoquomodolibet impedire, nisi prout hæc statuta expresse disponunt, uel permittunt: decernentes irritum ipso facto, & inane, quicquid in contrarium a quoquam attentatum, uel quomodolibet factum fuerit.

STATVTVM DECIMVM.

De Potestate Rectoris, & consiliariorum circa administrationem bonorum collegij, & circa non expresse prouisa per huiusmodi statuta.

Item concedimus Rectori, & consiliarijs, ut possint omnem supplere defectum circa facta, seruitia, & negocia Collegij, quomodolibet emergentia, & singula facere, & disponere, quæ necessitati, & utilitati Collegij cognouerint expedire, ita tamen, ut de possessionibus, & bonis immobilibus, & iure, in urbe, & agro Bononiensi collegio acquisitis, & acquirendis, & de libris bibliothecæ, & sacelli, aut alijs ornamentis uendere, obligare, donare ad affectum, siue censum dare, uel quomodolibet



alienare, etiam quavis instante necessitate, nihil possint ulla ratione, etiam si totum collegium (nemine discrepante) in hoc consentiret cum eisdem, nec permutare, nisi ex permutatione Collegium lucrifaceret, & fieret cum auctoritate protectoris collegii, & decreto ipsius, non aliter. Possit tamen Rector cum Consiliarijs, uel eorum maiori parte, pacta cum socijs possessionum facere, & cōtractus locationis de Pratis, de Domibus, uel stationibus, uel de alijs rebus collegij usq; ad triennium duntaxat (si utilitas hoc suaserit faciendum.) Permittimus etiam ipsi Collegio, ut iugera partesq; agri, siue terræ, quas separatas habet, pro alijs, quæ sunt contiguæ, seu coniunctæ terris collegij, possit permutare, de putatis per ipsum collegium peritis, & prudentibus hominibus ex Collegio, qui simul cū alijs hæc uideant, considerent, & faciant huiusmodi permutationem, quæ in ipsius collegij euidentem cedant utilitatem. In quarum permutatione omnino debeat, uisitoris Collegij ordinarij saltem auctoritas, & assensus interuenire: & contractus huiusmodi cautiſsimè, & per uiros prudentes notentur, & in arca communi cum alijs scripturis reponantur. Et si quid secus factum fuerit, qui fecerint, & qui consensum, consilium, auxilium, uel fauorem dederint, Item qui quantum poterunt, non restiterint, & scientes non indicauerint ijs, quibus collegium subiicitur, in pœnam Periurii, priuationisq; collegij incidant ipso facto. Et quod contrafecerint, sit irritum omnino, & inane ipso iure: & collegium seruare indemne, de suo teneantur. Vinum tamē, & frumentum, oleum, & res alias mobiles, quæ diu seruari non possunt, libere possint uendere, quemadmodum ad utilitatem Collegij eis maxime uidebitur expedire, & ut alii uiri prudentes Bononiæ facere solent, & eorum precia in necessitates, & utilitates Collegij, & personarum ipsius, iuxta hæc statuta conuertere. Rusticis uerò, & cultoribus possessionum de talibus commodare, ac etiam benemeritis, & aliquid inutilitatem Collegij facientibus, secundū suos labores, & seruitia remunerare permittimus.

Per.

STATVTVM VNDECIMVM.

Ut quolibet anno in granario cētum corbes frumenti, & in cella uinaria centum uini, ac ducentæ libræ Bononiæ. in ærario retineantur.

Item Rector & consiliiarii provideant, ut in fine mensis Aprilis singulis annis, in granario remaneant semper centum corbes tritici, quorum quinquaginta mudentur, & conseruentur: & quolibet mense renouentur ad

tur ad aliàs collegii necessitates, qui uendi non possint, nisi in maxima collegii necessitate, uel nisi in fine mensis Aprilis, uel post huiusmodi esset precium tritici, ut augescere non posse alii prudentes homines iudicarent, aut esse probabile, ex eius retentione, posse damnum fieri; tunc enim re deliberata cum collegio, hos quoque quinquaginta corbes uendere licebit Rectori, & consiliariis, & aliter non. In fine quoque eiusdem mensis Aprilis, retineantur in cella uinaria, saltem centum corbes uini, ad usum domesticum. Et similiter de aliis rebus ad possessiones, & gubernationem, & alimentum familiæ, quæ necessaria fuerint, sub pœna Periurii referuentur. Residuum uero uendatur, ut supra dictum est. Provideantur etiam, ut in ærario ducentæ saltem libræ Bononienses referuentur ad collegii necessitates, quæ possunt existere, antequam fruges, & noua uestigalia percipiantur.

STATVTVM DVODECIMVM.

Quæ debeant per collegium, uel Rectorem, & consiliarios expe-
diri, & quid sit faciendum in ipsorum dissidio.

Item statuimus, ut quotienscunque aliquod graue negocium extiterit, Rector primum singulos collegiales moneat, ut rem diligenter considerent, postridie uero ad consilium conuocet, in locum consuetum, quo qui uenire neglexerit, portione priuetur, pane duntaxat alédus, & aqua & habita deliberatione, negocia grauissima duarum partium ex tribus, collegii sententia definiantur ex presentibus, uidelicet in mediocribus autem ualeat maioris partis iudicium; leuiora expediat Rector cum suis consiliariis. Quæ autem sunt maiora, mediocria, & leuiora (si forte dubitabitur) committimus illius arbitrio, cui collegium submittitur ipse tamen Rector, & consilijarii, & totum Collegium simul, aut diuisim contra huiusmodi statuta facere, uel uenire, aut ea temperare, corrigere, mutare, aut ab eis quicquam detrahere, siue addere, uel dispensare, quomodolibet circa ipsa, uel aliquam partem eorum nisi quatenus ipsa statuta permiserint, aut in damnum, uel præiudicium eiusdem Collegij aliquid facere, nullatenus ualeant, immo penitus de his dempta sit eis omnis auctoritas, & potestas, irritum decernentes ipso facto. Quicquid in contrarium fuerit factum. Possint tamen Rector, & consilijarii, omnes pœnas panis, & aquæ, cippi, & si quæ ei similes sint, in statutis contentas, (pœnis priuationis, & suspensionis collegij, & quæ illis accumulatur exceptis) in pœnas pecuniarias commutare, si ipsis Rectori, &

Pœ. consiliarijs, uel eorum maiori parti utilius, & melius uidebitur; & tunc optio sit puniendi, quam maluerit subire, expressam uidelicet in statuto, an æstimatam ab eisdem, quæ quidem pœnæ applicentur capse pœnarum, de qua infra dicetur: & huiusmodi pœna in necessitates, uel utilitates sacelli, & rerum ipsius exponantur, omnibus alijs pœnis, quibuscûq; in suo robore permansuris. Statuimusq; in uniuersum, ut omnia modo dicta, uel similia leuia. Rector cum duobus saltem consiliariis ualeat libere expedire, non obstante aliorum duorum contradictione: alijs duobus pœnam solidorum decem imponentes, nisi saltem coram duobus antiquioribus collegij protestati fuerint contra Rectorē, & duos alios consiliarios: quos ex tali facto uolumus in syndicatu obligari. Si uerò tres, aut quatuor sententiæ Rectoris essent contrarij, tunc fiat quod maior pars ipsorum duxerit disponendum. Quicquid autem à Rectore, & consiliarijs, semel fuerit decretum, aut iudicatum, Rector non possit executioni mandare, aut infectum relinquere, uel moderari, aliter quàm ab ipsis decretum fuerit, sine consilio eorundem, & si aliter fecerit, sit irritum ipso facto. Et si pœnam mutauerit, aut leniuerit, sine consensu eorum, ipse teneatur eadem pœna, & ultra hoc, pœna Ducatorū sex capse communi applicandorum à Syndicis sindicantibus puniatur.

STATUTUM DECIMUM TERTIUM

De Officio Rectoris & Consilianiorum, circa domus gubernationem, ac debitorum antiquorum recuperatione.

Per. **I**tem Rector, & singuli Cōsiliarij habeant singulas clauēs diuersas ararij, siue arcæ communis pecuniarum, de qua infra dicetur, quibus pecunijs inde depromendis, ac Oeconomo, ad expendendum præstandis, & rationibus ineundis, sub pœna Periuri, omnes, & singuli ipsorum intersint, qui Consiliarij, sub prædicta pœna, in pecunijs ex arario depromendis, iuxta hæc statuta, Rectori pareant, minimeq; resistant. Item Consiliarius medicus habeat clauēs eius celle, ubi massa subigitur, asseruatur farina, & capsarum, quibus hæc continentur. Scribatq; in uno libello, quicquid uini in cella uinaria recondetur, & item farina, ac furfures, eosq; Oeconomo ad uendendum mensura (ut moris est) consignet farinam, & cū opus fuerit, ad panem faciendum, uel aliàs præbeat, in suoq; libello conscribat. Alij uero tres consiliarij habeant unam clauem granarij, per menses uicissim, ita ut sine aliquo ipsorum id temporis clauē tenente, granarium non ualeat aperiri. Et quilibet ipsorum tempore, quo

quo clauem tenuerit, habeat unum libellum, quo cuncta, quæ in granarium reconduntur, aut inde promuntur, scribat. Collegialis uerò ultimo in collegium admissus, habeat clauem celle uinariæ, & eius qua panis asseruatur, qui harum rerum expensum scribat, ut omnium ratio cõstet, nec aliquam dictarum clauium cuiquam famulorum committat, sub pœna pro prima uice, subsidij anni dimidij; pro secunda solidi anni; pro tertia in tres menses a Collegio pellatur. Ex consiliariis autem, qui negligens fuerit, in usu sibi commisse clauis, perdat salarium, insuper mulctetur tribus libris. Præcipimus præterea Rectori, & Consiliarijs, sub prædicta pœna, ut debita collegij, quantumcunq; antiqua sint, aut irrecuperabilia uideantur, non permittant aliquo modo deleri, sed sit unus liber ad hoc deputatus, ut huiusmodi debita describantur ordine, & clare, notato libri unde describuntur, foliorum numero, ut facilius in originali quodlibet debitum probetur, & appareat, & nunquam huiusmodi debita ex alijs libris ad hunc transferantur, nisi per ipsos, ac per priores officiales ante fuerit adhibita summa diligētia, circa ipsorum recuperationem, super quo eorum conscientias multū oneramus. Et quolibet anno huiusmodi debita alicui homini diligenti extra collegium ad recuperandum committantur, cui de sic recuperatis satisfiat pro suo labore, ut Rectori, & Consiliarijs uidebitur.

STATVTVM DECIMVMQVARTVM.

De eorundem circa possessiones per se, uel per alios Collegiales uisitandas, & alia facienda.

Item statuimus, ut frequenter, hoc est saltem semel in mense, Rector, aut alius quē ad hoc ipse (si erit legitime impeditus) legerit, uadat, provideat, & reuideat domos, & edificia, possessiones, prata, & omnia alia ad collegium pertinentia. Et si qua reparatione indiguerint, sub pœna Periurij reparentur, ad quod & similia habeat Collegium duo iumenta, ut Rectorem unus Consiliarius, aut alter Collegialis possit commitari, quibus Rectori, & comiti, tunc alendis (si socius possessionis nō suffecerit detur) duplum portionis, quam habuissent in collegio, nec huiusmodi uisitantes pluribus expensis, uel personis fiant, præterquam in prima uisitatione noui Rectoris, & consiliariorum, Et infine eorum officij, tunc enim permittimus, ut Rector & consiliarij, etiam cum curatore prædiorum, siue factore possint expensis collegij uisitationem facere. Que omnia prata circumscrip̄ta, & mensurata, secundum ueros,



& nouos limites, per ordinem, per petias, & numerum Tornaturarum (ut Bononienses loquuntur.) Et similiter omnes alia possessiones, agri, nemora, praescribantur in duabus, uel pluribus tabulis (quae tabulae in bibliotheca muro) ut eas quisque legere possit: appendantur. Praecipimus quoque Rectori, & consiliarijs, sub poena Periurij, & priuationis prouisionis unius anni, ut huiusmodi pratorum limites & confinia renouent, qua parte opus fuerit, saltem quinto quoque anno. Et ut possessiones, & domus Collegij notae sint omnibus collegialibus, Rector, & consiliarij iubeant omnes collegiales, ut eorum quisque intra decem menses a die receptionis suae computandos, sub praedicta poena, utrisque imminente, uisitet omnes domos, tabernas, officinas collegij, muris Bononiensibus contentas, cui Oeconomus iussu Rectoris, teneatur omnia, & singula ad oculum demonstrare. Et intra biennium ab eodem tempore possessiones, extra muros, in agro Bononiensi existentes uisere, & cognoscere unusquisque teneatur, aliquo per Rectorem nominando demonstrante; quo biennio elapso, dicta prouisione priuetur, donec purgauerit contumaciam. Possit tamen Rector dispensare cum legitime impeditus.

Per.

Pae.

STATVTVM DE CIMVMQVINTVM.

De officio Oeconomi.

Oeconomus officium erit, ut accipiat pecunias a Rectore & Consiliarijs ad expensas quotidianas, ordinarias, & extraordinarias prouisiones, & refectioes domorum, caeterosque sumptus Collegij, iuxta formam ipsi per haec statuta traditam: ut salaria Rectori & consiliarijs, capellanis, & alijs officialibus, & seruatoribus Collegij soluat, domos, tabernas, officinas, & prata Collegij, quae fuerint locanda, locet: & omnia alia quae ad Collegium pertinebunt, expediet, & curet, in Bononiensi ciuitate, semper tamen iussu & uoluntate Rectoris & consiliatorum. Item ut pecunias quas idem Oeconomus pro Collegio recipiet undecumque, qui omnia quae causa sui officij ad eius manus peruenerit, sub poena Periurij, infra triduum, uel citius, si poterit, in ararium, hoc est, in arcam communem, ad hoc in sacristia facelli deputatam, fideliter reponet, cum parua scedula exponente, ex qua re pecunia illa recepta fuerit (ut moris est) & continente summam pecuniae repositae. Cuius quidem arcae communis habeat ipse Oeconomus clauem unam diuersam a praedictis quinque, ut sine ipso nequeat aperiri. Nec tamen possit Oeconomus, aut ipse Rector, & consiliarij, de praedictis pecunijs, etiam necessitates

tates

tates collegij, ne unum quidem denarium expendere, sub eadem pœna antequam in arcam reponatur, ut dictum est. Qui Oeconomus quotidie uesperis, iusto impedimento cessante, expeditoris scædulam omnes expensas ordinarias, & extraordinarias, diei illius continentem (ut moris est) peruideat, examinet, & custodiat, cum quibus scædulis, ipsi Rector & consiliarij, examinare debent expensas, in libro oeconomiscriptas, in fine cuiusq; mēsis quemadmodum Rectori magis uidebitur expedire. Quibus scædulis exminatis, tam in eis, quàm in libro Oeconomi per ipsum Rectorem annotatio fiat, siue subscriptio. Item Oeconomus in coquina, cella uinaria, pane, & alijs cibariis, sine præiudicio, tamen curam uini, & panis habentium, cuncta expedienda curabit. Cæteraq; alia intra urbem, nisi forte Rector, aliquid alteri duceret committendum: cui ipse Oeconomus, & omnes alij obedire necessario teneantur. Et ipsi Oeconomo circa prædicta coquus, subcoquus, & alij familiares, ad domus seruitia deputati, de quibus infra dicetur, teneantur assistere, & ipsum coadiuuare, quotiens oportuerit, ipsos tamen deficientes, & inobedientes, puniendi non habeat potestatem, Rectori tantum, reseruata punitioe,

STATVTVM XVI.

Quot libras Oeconomus possit compensando acceptas ferre, & de ratione cum creditoribus ineunda, & locationibus alijsq; contractibus.

Item Oeconomus, nunquam alicui creditori Collegij soluat cum aliquo debitore ipsius, aut alicui faciat bonas, hoc est, compensando ferat acceptas plusquam uiginti libras Bononienses in toto suo anno, nisi præsentibus saltem duobus collegialibus, uel capellanis, quorum nomina, & cognomina necessario exprimere teneatur in suo libro, ubi eam rationem scripserit, sub pœna perditionis totius salarij, etiam iam recepti; & tunc easdem pecunias, quas tulerit acceptas, adscribat acceptis pecunijs, perinde ac si eas accepisset, ac eodem modo expensis, explicata causa, cur tulerit acceptas. Item statuimus sub prædicta pœna, quã incurrat, si non fecerit, aut per eum steterit quominus factum fuerit, teneatur antequam mēsis Aprilis anni sui elabatur, ut rationem clarã ineat, & cõficiat cum lanio, piscatore, ac omnino cum omnibus creditoribus, & debitoribus collegij, ita ut plane, & aperte, ac separatim singula explicentur præsentibus etiam duobus collegialibus, uel capellanis: Quo-

rum nomina, & cognomina, etiam in singulis partibus exprimantur. Prohibentes Oecono locationes, uel alios contractus facere de Pratis, de Domibus, uel Apothecis, seu tabernis, & officinis, uel de aliis rebus collegij ultra annum, nisi utilitas, uel necessitas aliud suaserit; & tunc presentibus, & consentientibus Rectore, & consiliarijs, uel eorum maiore parte, huiusmodi locationes, seu contractus fiant, & in quantum tempus eisdem uidebitur utilius fore collegio, dummodo triennium non excedat, & tunc ad finem termini, siue locandi tempore appropinquante, denuo ipsis conductoribus denuncientur coram Notario, & testibus, ut rem liberam, & expeditam relinquunt collegio, ut possit de ipsa constituere suo iure & cui uelit locare. Quod si negligentia, dolo, uel fraude, ab Oecono fuerit commissum, tam ipse, quam Rector, & consiliarij, qui erunt in culpa, in quorum anno diligentia huiusmodi adhibenda erat, damnum quod inde collegium fecerit, soluere de suo compellantur. Idemque per omnia intelligatur, si Oecono, aut quis alius aliquam rem collegij locauerit, uendiderit, aut aliàs in aliquem sine sufficienti cautione transtulerit, a quo non possit, aut collegio sit difficile, praeium seu debitum, aut huiusmodi rem consequi, seu recuperare, Praetereaque expensis suis ipse recuperare teneatur. Iubemus etiam ut nulla locatio, seu uenditio, aut huiusmodi contractus de pratis, seu de alijs rebus, & bonis collegii deinceps fiat, nisi coram Notario collegii, aut alio, & testibus & cum bona seu idonea cautione: quod Rectoris, & consiliariorum prudentia committimus. Item prohibemus, ne Oecono pecuniam debitam ab aliquo collegiali Oecono anni superioris recipiat, a se exigendam poena periurii utriusque Oecono eminente, & Rectori, atque consiliarijs, si hoc permiserint, aut dissimulauerint proposita.

STATVTVM XVII.

Quomodo consignatio pecuniarum, & acceptum impensumque ab Oecono debeant describi.

Item sancimus, ut in archa communi sit unus liber, in quo omnes pecuniae redditus illius anni, undecumque perceptae, secundum ordinem scedularum praedictarum, manu Rectoris, cum proprijs titulis (ut moris est) ordine describantur; & in alia parte huius libri, omnes consignationes de pecunia Oecono factae manu ipsius Oeconomi, cum die, mense, & anno, sub poena periurii, fideliter scribantur. Praecipimusque sub poena periurii, ut nunquam secunda consignatio pecuniae fiat, nisi reddita
prius

ratione prioris, uel saltem habita uerissimi notitia pecuniam præcedentis consignationis fuisse in collegij rebus expositam, Oeconomus etiam omnes expensas ordinarias, & extraordinarias tam per se, quam per quoscūq; alios, & in quibuscūq; rebus factas, & quicquid fuerit acceptum, uel impensum illo anno, tam pecuniarum, quam aliarum quarūcūq; rerum ad collegium, quouismodo pertinentiū, in alio libro maiore per seipsum planè, & clare, per distincta capita, sub proprijs titulis, cū die, mense, & anno, ut fieri consuevit, ut quilibet intelligere possit, sub eadem pœna periurij, & priuationis salarij, fideliter scribat. In quo libro separatim conscribantur rationes expensarum, in fabricis factarū, eo anno, ita cum rationes totius anni fuerint conficiendæ, comparādo librum Oeconomi cum libro, & scedulis arche, & expēditoris, & libellis consiliariorum, & collegialium, qui præfuerint frugibus percipiendis, si qua fuerit fraus commissa facile poterit deprehendi. Per illum etiam librum Oeconomi facile cognoscetur acceptum, & impensum, & quid illo anno debuit superesse, cum quo quidem libro alijsq; libris, & scedulis supradictis rationes conficiēde sunt singulis annis, qui Oeconomus si in administratione rei familiaris collegij, aut in rationibus referendis fraudem, aut dolum commisisse fuerit conuictus, protinus etiā ante primum Syndicatum officio, & collegio, sit ipso facto priuatus. Et rector, & cōsiliarij continuo, sub pœna periurij, huiusmodi delinquentē deferant ad uisitatorem, etiam extra tempus uisitationis, a quo cognita ueritate a collegio, protinus expellatur, ulterius nunquam modo aliquo recipiendus, & alter bonus, & fidelis ad id munus eligatur. Si uero propter eius negligentiam aliqua debita, suo anno contracta, non fuerint recuperata, ipse teneatur intra mēsem augustum sequētis anni, sub pœna priuationis totius suæ prouisionis recuperare, qui quādiu fuerit Oeconomus de pecuniis collegij, uel suis nemini, quicquam mutuari possit iniussu Rectoris, sub pœna perdicionis pecuniæ mutuatae applicandæ capsellæ pœnarū, de qua infra dicetur. Permittimus tamē quod possit cuilibet collegiali, arbitrio, & periculo suo, mutuari usq; ad summam sex ducatorum, nec aliquid credere, alioquin ipse de suo soluere teneatur. Si quis autem alius collegialis, etiam rector, quicquam pecuniarum ex quibuscūq; redditibus, siue debitis, aut rebus uenditis Collegij receperit, expellatur a Collegio, eoq; magis, si pecuniam acceptam penes eum diem solidum refinuerit, eadēq; pœna maneat cuicūq; horum, aliquid sciuerit, nec statim Collegio, uisitatiq; indicauerit.

Per.

Per.

Pœ.

Pœ.

Pœ.

Q V A R T A

STATVTVM DECIMVMOCTAVVM.

De Officio Syndicorum .

ET quia uillicus reddere teneatur rationem suæ uillicationis, Sancimus, ut bis in anno Rector, & consiliarij, ac oeconomus, de omnibus acceptis, expensis, gestis, & administratis à se (Syndicis, in forma superioris tradita, electis) rationem uniuersalem reddere teneantur, & tã qui sunt reddituri rationem, quam qui accepturi id facere teneantur, intra mensem Nouembrem, in primo syndicato. In secundo uero intra mensem Maium, sub pœna periurij, & priuationis dimidiæ prouisionis unius anni, quam incurrere uolumus eum, uel eos, per quem, uel quos steterit, quominus ratio in tempore reddatur. Et nihilominus per eum, cui collegium subijcitur, ad prædicta compellatur. Qui syndici annotantes rationes accepti, & expensi omnium frugum, & pecuniarum collegij, diligenter considerent, & cõficiant, ac in libro syndicatus fideliter describant, palamq; omnibus collegialibus ex more, ad finem mensis nouembris, alta uoce, ut exaudiãtur legant. Syndici uero syndicãtes, simulatq; fuerint electi, & iurati, ut supra cautum est, eodem die, uel postero omnes rationes frugum, & pecuniarũ, tam aliarumq; rerum pro collegio, quam pro antiquis officialibus examinent, atq; cõficiant, omniaq; accepta, & expensa in libro syndicatus perscribant, & consignationem ab oeconomio, & consiliarijs antiquis omnium rerum collegij, quæ tunc temporis erunt penes eorum quemlibet accipiant: quos officiales antiquos, ad hanc consignationem (ut prædicitur) faciendam, omnino, sub pœna periurij obligari uolumus. Qui syndici ita sibi consignata, consignent oeconomio, & officialibus nouis pro cuiusq; officio: Neq; uero solum rationum (ut supra dictum est) cõficiendarum eundæ curam, & potestatem syndicos syndicantes habere uolumus, sed etiam quæcunq; commissa, uel omissa rectoris, & omnium officialium superioris anni manifesta, & notoria cognoscendi, omnesq; negligentias in administratione collegij, & delictorum punitionibus commissas, & pro eis officialium quenq;, iuxta hæc statuta condemnandi, & mulctandi ius, & plenam potestatem ipsis tribuimus: eosdem monentes, ac per deum Christum obtestantes, & sub pœna periurij iubentes, ut superius anni officialium rationes, administrationes, delicta manifesta, dolos, fraudes, & insignes negligentias diligenter considerent, & in memoriam reuocet, & in libro syndicatus conscribant, annotent, & officiales (prout quisq; meritus fuerit) iuxta hæc statuta cõdemnent, nihil odio dãtes, nil amicitia,

uel

uel cupiditati, sed ueritati, & iustitiæ seruientes, ut qui male fecerint, puniantur pro merito, & ceteri exemplo admoneantur officij sui, fiâtq; ad collegij administrationem, & statutorum obseruationem cautiore, & diligentiores. Indulgentia enim, ac impunitas licentia hæc, perniciem ciuitatibus, ne dum collegijs afferre solet. Quæ omnia supradicta in libro syndicatus conscripta, quarto calendas Iunij (collegialibus duntaxat in triclinio ex more congregatis) publice recitent, & pronuncient (a' quibus si quis dictorum officialium iniuste se damnatum putauerit) liceat ipsi eodem die ad collegium prouocare. Et postridie collegiales omnes ad huiusmodi causas diiudicandas ritè conueniant, & singuli tactis sacro sanctis Euangelijs, in rectoris manibus, sacramentum dabūt, Syndicorum, de quibusq; rebus latam in officialem, siue officiales, sententiam se non tenere, sed ex iudicio, & iure statutorum, uel confirmaturos per iniectas fabas albas, uel recisuros per nigras: quod sacramentum eodem modo dari uolumus a' singulis collegialibus, quotièscunq; aliquid fuerit a' collegio per fabas diiudicandum, secus facientibus pœnam perriurij proponentes. Sic igitur iurati omnes de sententijs syndicorū diiudicabunt, & quod ab ipsorum maiore parte ad hunc modum fuerit cōstitutum, siue decretum ualeat, nec a' uisitatoe possit rescindi, aut temperari. Si tamen quouis officialium absoluto postea de dolo, aut fraude ipsius constiterit, collegio satisfacere, qui fuerit in dolo compellatur, puniaturq; pœnis legitimis. Ultimo uero die Maij, rursus legatur syndicatus publice coram uisitatoe, & collegio, in quo scribi, explicariq; debent pratorum iugera, siue tornaturæ, & ipsorum locationes, & precia, & pecuniæ acceptæ in ærariumq; repositæ. Et itè expensæ, debita quoq; collegij, & credita, & compēsata, eodemq; modo fiat de cæteris rebus, redditibus, & pensionibus collegij, ut omnis ratio accepti, & expensi cōstet, notaq; sit tum uisitatoe, tum omnibus collegialibus.

Per.

Per.

STATVTVM XIX.

De prædictorum Curatore, & sub curatore.

Item statuimus, ut Collegiū habeat unum prædiorum, atq; frugū curatorem (quem Bononienses Factorem uocant) diligentem, fidelem, qui etiam Bononiensis esse possit, qui curam habeat continuam omnium, & singularum possessionum, & pratorum, domorum, & apothecarum aliarūq; rerum extra, & intra muros Bononiæ, & uinum, & frumentū, & omnes alios fructus, collegij, & ligna ad usum collegij necessaria congruis tēporibus Bononiā, ut conuehantur. Item cellam uinariam, dolia

uina conficienda, & conseruanda, triticum molendum, cæteraq; omnia curet, iussu rectoris, cui in omnibus supradictis, & in alijs ad utilitatem collegij pertinentibus, & ad officium suum spectantibus obedire teneatur: cui curator dabit collegium, unū subcuratorem, qui eum adiuuet, in omnibus prædictis faciendis: præcipue in uino conficiendo, tempore uindemiarum, & condendo, ac temporibus transmutando. Qui subcurator scindat ligna, & alia faciat, quæ uidebuntur utilia, siue necessaria ad domesticos usus: & cum curatore omnes possessiones, & prata, resq; aliàs extra muros prædictos existentia, uisat, & reuideat, ut ipse quoq; cognoscat collegij possessiones, & earum limites, & confinia; cui curator omnia supradicta teneatur, sub pœna periurii, sæpe iussu rectoris monstrare. Et quia possessiones collegij sunt complures, & distantes inter se, habeat collegium duos equos, uel equum, & mulam quibus rector, & collegiales, ipseq; curator inuehatur, cum fuerit ad possessiones eundum: nec alias (nisi permittente rectore, & ex iusta causa, quam eius arbitrio committimus,) qui Rector etiam in urbe alterutro poterit uti, modo id faciat honeste, & cum grauitate. Item curator, & subcuratori præcipimus, ne accipiât munus aliquod a socijs possessionum, uel a conductoribus domorum, siue apothecarum Collegij, exceptis esculentis, & poculentis, quæ paucis possint consumi diebus. Qui curator, & subcurator initio antea quã res collegij curandas accedant, iurabunt in manibus rectoris, tactis sacro sanctis Euangelijs, presentibus Consiliaribus, se huiusmodi officium, & omnia quæ sibi committentur, & iubebuntur fideliter, ac sine fraude obituros: & ipsi rectori reuerentiam debitam, & obedientiam in licitis, & honestis præstatueros, & iura, & libertatem collegii defensuros. Et quandiu in hac domo permanebunt, bona fide Collegio omnia quæ sciuerint, seu crediderint, ei ualde nocitura, quam commodissime, & citissime poterunt indicatueros; nil dantes amicitia, odio, consanguinitati, affinitati, gratia, uel fauori, nec secreta collegii cuiq; enunciatueros. Habeatq; curator & subcurator, pro salario quolibet anno, quod Rector, & Consiliarij cū ipsis constituerint: præsentq; in sui receptione cautionē idoneā de fidelitate.

STATVTVM VIGESIMVM.

De famulis Collegij: & eorum ministeriis salario: & cautione præstanda.

HAbeat etiam collegium coquum idoneum, cum suo subcoquo, qui ipsum adiuuet in omnibus rebus coquinariis, & portiones, siue fercula

fercula a' coquina portet in triclinium. Item unum famulum expendi-
torem, scientem scribere, qui curam habeat emēdi carnes, cæteraq; ob-
sonia, & ad coquinam afferendi, quæ ad communem uictum sint. neces-
saria, & faciendi, ac distribuendi portiones singulis. Qui quotidie uespe-
ri, scedulam expensarum a' se factarum Oeconomo collegii tradat. Item
habeat alium famulum, qui præsit triclinio, & mensas paret, ac lectos
collegialium, & capellanorum claustris inferioris quotidie componat
& cubicula uerrat, & curam habeat conficiendi panes collegio, artis
pistoriæ non ignarum. Item quatuor famulos alios, quorum unus pro-
pter honorem Rectoris ad seruitium eius deputetur, qui curam habeat
portas claudendi, ac aperiendi hora consueta. Alter communis sit col-
legialium, qui lectos claustris superioris aptet, & cubicula uerrat. Ter-
tius curabit iumenta collegii, & stabulum. Quartus erit senex aliquis
pauper, qui uerrat domum, & assideat ad ianuam collegij, nec permic-
tat pueros, qui obsterpere solent studentibus collegialibus, ingredi col-
legium: cui pro salario non detur plusquam una libra Bononiensis in sin-
gulos menses. Sed hunc famulum perpetuum esse nolumus, sed quan-
diu opus esse fuerit rectori, & consularijs uisum & fertilibus annis.
Sed cum hic dimissus fuerit, rector ipsius ministerium & curam cuiuspiam
aliorum famulorum iniungat, cui uisum fuerit. Qui omnes famuli, ex-
cepto coquo, & subcoquo, in mensa omnibus discumbentibus ministrēt,
& ad panem conficiendum, omnes nullo excepto, famulum triclinariū
iuuare, & omnia alia communia ministeria facere teneantur, ut Rectori
cui omnes obedire debēt, duxerit ei imponendum. Et ipse solus Rector
famulus corrigat, & emēdet, recipiat, dimittat, ut sibi uidebitur expedi-
re. Quorum quisq; salarium habeat, quod cum eorum singulis rector,
uel Oeconomus constituerit ipsorum. Tamen, nemo sine idonea cau-
tione de sua fidelitate (ut moris est) in Collegium recipiatur: quam cau-
tionem, oeconomus ante cuius receptionem, sub pœna periurij, & per-
ditionis salarij, & restitutionis damni, si quod aliquis fecerit de colle-
gio, propter cautionem non præstitam, recipere teneatur: quod ma-
xime in expeditore obseruari uolumus. Item nullus in collegio pos-
sit habere famulum, etiam propriis expensis, nisi Rector prout supe-
rius est expressum. Cui rectori præcipimus sub pœna unius libræ Bono-
niensis pro qualibet uice, ne cum exierit collegium, sequi se iu-
beat, uel permittat, ex Collegij famulis quenquam
præter suum & stabularium, præterquā
necessitatis, si quando ea ex-
titerit, causa.

Per.

Pœ.



STATVTVM XXI.

De Medicis, Notario, Procuratore, & eius iuramento, Tonso
re, lotrice, eorumq̄ salarijs.

HAbeat etiam collegium unum bonum medicum, conductum sala-
rio competente, dummodo uiginti librarum summam, unius anni
salarium non excedat, uel potius (ut moris est) dentur ei quinque tritici
corbes, & uuarum una castellata, in uindemia. Qui omnes collegij do-
mesticos agrotantes, saltem semel in die uisitare teneatur, circa quen-
libet diligentiam adhibendo. Item unum Chirurgum, cui pro salario
detur uuarum una Castellata, & quinque corbes speltae in annos singu-
los, qui medicus, aut Chirurgus, si praeter publicum salarium, aliquid
priuatim acceperit ab agrotantibus, protinus dimittatur, & alius con-
ducatur. Vnumq̄ Notarium, coram quo fiant omnia instrumenta, quae
fuerint collegio necessaria, qui habeat pro salario tritici corbes quin-
que, & unam castellatam uuarum. Vnum procuratorem, qui diligen-
ter, atq̄ fideliter procuret, & agat omnes causas, & lites collegii. Qui
procurator ante sui receptionem iurare debet, se iura, & libertatem col-
legij, quoad poterit defensurum, & quandiu ipsius collegij erit procu-
rator, enunciaturum collegio, quam commode, & cito poterit, bona fi-
de omnia, quae sciuerit, aut crediderit, insigniter esse eidem nocitura, ni-
hil dando amicitiae, odio, consanguinitati, affinitati, gratiae, uel favori:
nec contra collegium, uel ipsius statum, & honorem per se, uel per alium
quicquam facturum, nec ad hoc consilium, auxilium, patrocinium, uel fa-
uorem cuiquam praestitutum, nisi suorum iura, uel sua prosequatur. Ha-
beatq̄ pro suo salario quinque corbes frumenti, & unam Castellatam uua-
rum. Item unum Tonso-rem, qui semel singulis septimanis ueniat cum
uno adiutore ad collegium, ut det operam collegialibus, & capellanis,
& famulis expeditius, & comodius. Habeatq̄ pro salario libras uiginti,
& octo Bononienses singulis annis, quod salarium Rector, & consiliarij
augere possint: (si eis commodum uidebitur) usque ad summam librarum
triginta quinque. Item unam lotricem, quae semel singulis septi-
manis lauet, & mundet, omnes pannos collegij. Cui re-
ctor, & consiliarij provideant, de salario competen-
te. Illud semper in omnibus obseruando,
ne quid praeter salaria supradicta,
rector, & consiliarij
addant.

STATVTVM XXII.

De Archa communi, siue arario Collegij.

AD reponendum uerò pecuniam, & magni ponderis scripturas, in Sacristia capellæ sit semper una Archa, ex latis, durisq; tabulis, quæ ex diuersis clauibus obcludatur: quarum quinque habeant rector, & consiliarij, sextam oeconomus, qua in Archa sit archula sex habens intra se capsellas, & unam, uel duas clauis diuersas, quæ clauis in communi archa semper conseruentur, & in una capsella ad fabricam, & reparationem collegij domorum, & possessionum, libræ Bononienses triginta anno quolibet reponantur, in alia, quæ theologorum appelletur, ad theologorum gradus triginta: in alia, quæ canonistarum uocetur, ad canonistarum gradus septuaginta: in quarta, quæ medicorum dicatur, ad medicorum gradus quindecim. Hæc autem quatuor deposita fiant a calendis Maij, usq; ad festum resurrectionis inclusiue, alioquin rector, & consiliarij, in pœnam periurij incidant, si cum facere possint, id facere distulerint. Et ideo sub dicta pœna præcipimus, ut dimidium huiusmodi pecuniarum deponatur in festo Natalis domini, dimidium in festo resurrectionis. Si uerò ultra ista deposita, & aliàs expensas, statutis constitutas, aliquid de bonis, seu redditibus collegij superfuerit, thesauro accrescat (ut dictum est) & reponatur in quinta capsella, quæ thesauri nominetur; in sexta uero capsella, quæ pœnarum appelletur, reponatur pœne pecuniarie. Præterea, sit in archula unus libellus, in quo describatur a rectore acceptum, & impensum pecuniarum, ibidem depositarum, per quem libellum singulis annis idem rector, & consiliarij rationem reddant de dictis depositis. Quæ quidem deposita graduum nullatenus expendantur, nisi quando aliquis de collegio, gradum sumpturus est, aut si collegio bona aliqua immobilia essent emenda. Possint tamen rector, & consiliarij, si ad exponendum in necessitates collegii oporteret, mutuo pecunias sumere de prædictis depositis, dum debita collegii recuperantur, sed cum facultas erit, protinus restituantur capsellæ, a qua fuerint mutuo sumptæ prædictæ pecuniæ, contrafacientibus pœnam periurij incurfuris.

Per.

Per.

STATVTVM XXIII.

De Conseruatione instrumentorum, scripturarum: de sigillis

Collegij, & de inuentarijs faciendis.

Item in eadem archa communi instrumenta omnia, priuilegia, & scripturæ authenticæ collegij in facis diuersis coloris reponantur, & si

deliter conseruentur, & eorum omnium inscribatur index in tabula, quæ muro bibliothecæ appendatur. Instrumenta tamen, & priuilegia ipsa archetypa, siue originalia nunquam extrahantur, sine magna & graui necessitate. Exempla uerò omnium authentica, in eadem archa reponantur, & cum oportuerit producantur: nequid fiat nisi necessitas persuadeat. Et si extracta fuerint, statim eodem referantur, sub pœna priuationis medietatis prouisionis unius anni; quam rector, & consiliarij, incurrant ipso facto, si propter eorum negligentiam aliquod instrumentum ex supradictis perierit. Præterea teneantur illud de protocollo, uel de ciuitatis Bononiensis registris descriptum, restituere suis expensis. Item sigilla collegij in eadem archa semper conseruentur, ne unquam aliqua scriptura sigillo collegij magno sigilletur, nisi prius collegio recitata fuerit, & obsignationi maior pars collegij consenserit, eademque rector, & consiliarij, uel maior pars ipsorum subscripserit. Nisi forte essent literæ, ad quas mittendas per statuta tenerentur: tales enim licebit Rectori cum consiliariis, uel maiori parte etiam contradicente collegio expedire. Fiant insuper duo inuentaria, in quorum altero describatur index diuinorum officiorum ordine, notenturque calices, ornamenta altaris, & reliqua sacelli supellex. In altero uasa utensilia, supellectilia, & res mobiles collegij ubicunque sint, siue in collegio, siue in domibus, uel possessionibus: ac nomina eorum, penes quos res ipsæ sint, seu quibus fuerint proxime consignatæ, fideliter conscribantur. Quæ inuentaria in archa cum instrumentis alijs conseruentur. Et per primum inuentarium capellanus in uisitatione mense Maio facienda, uel aliàs in recessu capellani (ut supra dictum est) rationem reddere teneatur, per secundum, oeconomo in principio sui officij a Syndicis singula consignentur. Cui consignationi oeconomus subscribat, & in fine sui officij rationem reddat.

STATVTVM XXIII.

De custodia, & conseruatione librorum, & bibliothecæ.

STatuimus, ut in bibliothecâ per subselia disposita, omnes libri collegij, tum ueteres, quibus D. Aegidius Albornotius utebantur, tum cæteri postea comparati collocentur ordine separatim per doctrinas, ferreisque catenis, ad eadem subselia colligentur, & ferramenta, quibus inducuntur catenæ, clauibus obcluduntur. Quæ claues in arca communi supradicta reponantur: fiat etiam una tabula, in qua omnes libri contenti

tenti

tenti in singulis uoluminibus, ordine describantur, principio, & fine notato: & iuxta bibliothecæ ianuam affigatur. Et nullus liber extra bibliothecam, nisi forte adaptandum, & reficiendum extrahatur, nec alicui commodetur, siue intra collegium, siue extra quocumque colore quaesito. Si uero rector, uel consiliarius, uel quiuis alter, ut liber aliquis de predictis alicui commodetur, uel de catenis ipsis extrahatur consenserint, in pœnam periurij incidant. Et nihilominus si liber fuerit perditus consentiē Per. tes omnes collegium conseruare indemne de suo teneantur, et donec satisfecerint, sint priuati uictu, & omnibus emolumentis, quæ accepturi essent a collegio: cuius bibliothecæ rector, & quilibet collegialis, habeat unam clauem: ut eam, cum opus fuerit, quisque possit aperire modo ne quis externus, absque rectoris licetia, sub pœna periurij, pœna in bibliothecam inducatur, nisi quãdiu in biblioticha externus fuerit, is qui in Per. trodixit, aut alter pro eo præsto sit. Præcipimus insuper omnibus collegij domesticis, ut libros bene tractent, & claudant, postquam studuerint, sub pœna periurij, & eorum ultimus quisque remanens in dicta bibliote Per. ca, sub eadem pœna ostium ipsius claudere teneatur. Prohibentes etiã sub eadem pœna, ne quis nocte intret cum lumine, præsertim ex oleo, nisi repetere, aut doctor fieri uellet, aut alia legitima interueniente causa, quã arbitrio rectoris relinquimus. Quicumque uero repertus fuerit aliquid de bibliotheca surripuisse uel unam cartam, ultra pœnam periurij, in quam incidat ipso facto, sit priuatus omni iure, quod ad collegiũ habuerit, & satisfactione prius facta, de collegio protinus expellatur. Pœ.

STATVTVM XXV.

Quis ordo sit tenendus, si redditus Collegij nimiũ attenuetur.

Item, quia sicut res docet, quotidie tempora uariantur, & multæ calamitates, præter opinionem existunt, ideo statuimus, ut si propter sterilitatem temporis, & bellorum in cõmoda, uel aliàs ob causas collegij redditus, in tantum (quod absit) attenuentur, ut ad expensas, quas hæc statuta decernunt collegio non sufficiant, de pecunia, quæ erit in thesauro collegij, moderatæ fiant expensæ, ut rectori, & consiliarijs uidebitur. Quæ expensæ tam ordinariæ, quàm extraordinariæ, si thesaurus non sufficiat, pro tempore, quantum parce fieri poterit restringantur. Et si hæc omnia forte non sufficerent, tunc expensæ extraordinariæ primo, deinde communes collegialium prouisiones, tum salaria rectoris, & aliorum officialium, medicorũ etiam, & famulorum subtrahantur. Quibus om-

nibus non sufficientibus possint Rector, & consiliarij cum consilio eius, cui collegiū summittimus, facta ipsi prouētuum de tenuitate per ipsos fide, de collegio ad tempus collegiales aliquos amouere, de minus utilibus, & ad studium minus aptis, super quo eorum cōscientias oneramus quibus uolumus, & iubemus, ut totum collegium (hac quoq; in parte) Per. obediat, sub pœna periurij, qui rector, & consiliarij, officialium, & ministrorum domus defectum, in ea rerum iniquitate, a reliquis de collegio per menses, uel septimanas, prout commodius ipsis uidebitur, suplundū curent. Item si propter inopiam collegij, aut aliam iustam causam, esset forte legitime decretum, neminem recipere usq; ad certum tempus, & aliquis legitime præsens, & idoneus ad aliquē locum uacantem, uel prope diem uacaturum, uenire contigerit, admittatur ad locum uacantem, non tamen intelligatur ius in re, seu integrum ius in collegium habere, sed extra id uiuat expensis suis, donec præsens tempus lapsus fuerit, & tunc in collegium recipiatur: & ab eo die quo fuerit receptus octennium eius incipiat computari.

STATVTVM XXVI.

Quid faciendum, si Collegium pecunijs abundauerit, & a quo dubia sint diiudicāda: & quomodo statuta intelligi debeāt

Item statuimus, ut si ex fructibus bonorum collegij, post legitimas expensas, aliquid superfuerit, in archa communi, siue ærario, fideliter reponatur, ac conseruetur, donec ad summam sit peruentum mille ducatorum; uel etiam minorem, prout rectori, & consiliariis uidebitur: tunc si redditus, & prouentus collegij intantum creuerint, ut pluribus scholasticis alendis sufficiant: emantur possessiones utiles, & ex earum fructibus, pauperibus Hispanis Bononiæ cuicunq; licitæ doctrinæ uacantibus, suggeratur pro eleemosina singulis, in pecunia numerata, dimidiū portionis, quæ datur cuiq; collegiali in cibo, & potu: idq; pro animis Domini Aegidij, eiusq; consanguineorum: & in hac eleemosina Hispani de regno castellæ, alijs omnibus præferantur, Post hos Aragonēses: deinde Portugaleses, tum Nauari, Valentini, & Catalani. Si uero nulli tales Bononiæ reperiantur, hæc eleemosina alijs pauperibus scholasticis erogetur, et præcipuæ italis, a quibus constat dominum Aegidium honores multos, & utilitates maximas habuisse. Et si scholastici pauperes forte non essent, eleemosinæ fiant hospitalibus, monasterijs, & honestis personis, & alijs pijs operibus, prout ei, cui collegium summittimus, & rectori, & cōsiliarijs uidebitur modo ne collegiales, cæteriꝫ domestici

domestici collegij ijs, quæ habere debent, secundum decreta horum statutorum, propter supradictas elemosinas, aliqua ex parte fraudetur. Et si pecuniæ ad maiora etiam sufficerent, subsidium ad pauperum gradus, arbitrio rectoris, & consiliariorum augeatur. Si uero utrum collegium, superabundet, uel circa hæc statuta, uel circa administrationem, bonorum collegij aliquod dubium extiterit, per eum, cui collegium submittimus, & duos doctores iuris canonici, qui erunt Bononiæ in lectionibus antiquissimi, controuersia diiudicetur, qui tres huiusmodi dubia declarent, atque eorum declarationes totum collegium accipere, & sequi teneatur. Volumus tamen, ut statuta intelligantur plane, & quemadmodum scriptura sonat citra in geniosas, nimisque subtiles interpretationes, atque in scholasticis recipiendis in collegium, non fiat amara interpretatio.

STATVTVM XXVII.

De Protectoribus Collegij.

Item, ut pium, & sanctum opus, optimi uiri, nationis Hispaniæ, liberalitate, ad commoditatem Hispanorum, in aliena regione conditum fauore, & præsidio conseruetur eorum, quos in primis, fas est, eius gentis dignitati, atque commodis consulere, idcirco Hispaniæ, castellæque clarissimi, & catholici Regis, & Cardinalis Hispani ex regno castellæ, qui Pontificem Ro. eiusue curiam affectabitur, aut si nullus talis fuerit in curia, eius, qui titulo sanctæ Sabinæ fuerit, fidei, ac patrocinio collegium committimus, obsecrantes eos, ac per deum Christum obtestantes, ut collegium tueantur, & aduersus conatus eorum, qui malum aliquod in ipsum molientur defendant, nec labefactari, annecti, uniri, aut in commendam, uel titulum cuiquam tradi, aut bona eius quouismodo diripi, uel inuadi patiantur, sed omnibus rationibus perpetuitati, dignitati, & commodis eius ad mentem conditoris prospiciant, & consulant. Gubernatores etiam, Senatoresque Bononiensis ciuitatis, quorum iustitia, & benignitate, amoreque paterno, in eos, qui studia literarum emulantur, Gymnasium Bononiense a multis sæculis stat, floretque orbis terrarum celeberrimum, rogamus, precamurque, ut idem collegium, ab omnibus malorum insidijs, fraude, ac uolentia defendant, ac instituto, & more suo tueantur, memores beneficiorum, quibus D. Aegidius Albornotius ipsorum ciuitatem est profecutus, quam a tyrannica seruitute, cum sui consanguineorumque suorum periculo, & sanguinis effusione uindicauit, ac multis ornamentis decorauit.

STATVTVM XXVIII.

De Visitatoribus collegij & tempore, & ratione uisitationis de
uifitatorum salario, & potestate, & pœna reclamâtium.

Item statuimus, ut Collegium personarû ipsius subiiciantur domino
Episcopo Bononiensi, & priori sancti Michaelis in nemore, & ipsorum
cuilibet insolidum, ita tamen, ut Episcopo uisitare uolente, alter ad uisi-
tandum non admittatur: & si in uisitando fuerint ambo negligentes, eo-
rum negligentia supleatur per Dominum Archidiaconum Bononien-
sem. Episcopus autem tunc negligens habeatur, si usq; ad decimâ quin-
tam diem mensis Maij: & prior si ultimis quindecim eiusdē diebus ne-
glexerint uisitare, & ne per obliuionem, uel aliâs uisitatio huiusmodi im-
pediatur, uel differatur, rector, & consiliarij sub pœna priuationis unius
anni a' collegio, teneantur requirere, & rogare dominum Episcopum
Bononiensem per aliquot dies ante mensē Maium, & priorem statim
post quintum decimum eius diem, si Episcopus non uisitauerit. Archi-
diaconum uerò in principio mensis Iunii, quos uehementer rogamus,
& obsecramus, ut domum, & collegium mēse Maio (ut supra dictū est)
uisitent annis singulis, ac in uitam, & mores, & consuetudinem, & regi-
men rectoris, consiliariorum, collegialium, & capellanorum, officialiū,
& aliorum domesticorum collegii, ac omnibus alijs, quæ correctione, &
reformatione indiguerint, tam in capite, quā in membris simpliciter,
& de plano, sine strepitu, & figura iudicij, inquirent ueritatem: corrigē-
tes, & reformantes, quæ uiderint corrigēda, & reformanda, examinētq;
singulos, ut appareat quantum quilibet profecerit in sua facultate, & ad
proficiendum in posterum aptus sit, circa quorum studium, & an libros
habeant suos, diligenter aduertant, ne inutiles loca occupent aliorum,
qui forsā magis proficerent. Habeatq; Episcopus loco cœnæ, aut præ-
dij, a' collegio singulis annis, quibus ipsum uisitauerit duos aureos, pro
labore autem prioris, omnes collegiales simul in eius fanum, seu mona-
sterium omni anno, quo uisitauerit, procedant in festo apparitionis san-
cti Michaelis, & singuli offerant unam candelam ualoris unius solidi Bo-
noniensis, expensis collegij. Archidiaconus uerò cum per negligentia
aliorum uisitauerit, habeat a' collegio in confectionibus, siue bellarijs,
usq; ad duos aureos. Cum autem Episcopus abfuerit Bononia, Vicarius
eius generalis in prædictis ei succedat, in qua uisitatiōe, uel alias. Si quis
inuentus fuerit, deliquisse in aliquibus, rectoris & cōsiliariorum non cō-
missis arbitrio, eum corrigendi, puniendi, suspendendi, uel etiam de col-
legio

legio expellendi (secundum merita delinquentis) eis, uel ipsorum cuiusque qui dictam inquisitionem fecerint, liberam concedimus potestatem. Item eisdem concedimus plenam potestatem statuendi, cum consensu maioris partis collegij, præcipiendi, & reformandi in collegio omnia, & singula, quæ ad ipsius collegij utilitatem & bonum regimen pertinere uidebuntur. Dummodo his statutis non derogent, contradicant, uel obuiant quoquomodo, a quibus correctione, punitione, suspensione, uel de collegio expulsionem, etiam si huiusmodi correctionem, punitionem, suspensionem, aut expulsionem fieri, extra hanc ordinariam uisitationem, per aliquem ipsorum uisitatorum contigerit, nullus ualeat reclamare, uel appellare, seu ad aliquem superiorem, uel iudicem in iudicio, uel extra recurrere quoquomodo, uel literas, seu indulgentiam, infirmationem, aut confirmationem super hoc petere, uel impetrare, aut impetratis uti in iudicio, uel extra, aut aliquos fauores interponere, uel quodcumque aliud remedium querere, quominus, correctio, punitio, suspensio, uel expulsio de collegio, suum plenum sortiatur effectum. Si quis autem quocumque prætextu, etiam nullitatis contrauenerit, seu literas aliquas impetrauerit, absque protectoris eiusdem collegij scientia, & expresso consensu, etiam cum huius statuti insertionem, & derogationem expressam, literæ ipsæ nullius sint roboris, & momenti. Et ipse sic delinquens ultra poenam periurij, inquam incidat ipso facto, omni iure, & comodo collegij ipso iure sit priuatus, & poenam exilij perpetui ab urbe, & agro Bononiensi, & quinquaginta aureorum ipsi collegio applicandorum eo ipso incurrat.

Per.

Pœ.

STATVTVM XXIX.

De potestate Visitatorum circa bona, & causas collegij, & quid sit faciendum, si uellent aliquid Collegij occupare.

Visitatoribus autem nullum ius sit, quicquam de bonis Collegij mobilibus, & immobilibus uendendi, permutandi, uel quomodolibet alienandi, mutuandi, uel comodandi, sibi sumendi, uel quomodolibet occupandi, sed alienata, distracta, commodata, permutata, recuperandi, & ad ius possessionem & dominium Collegij reducendi, nec de alijs quibuscumque rebus collegij constituendi, nisi quantum ipsis per hæc statuta conceditur: in causis tamen & negocijs collegij quibuscumque criminalibus, civilibus, uel etiam mixtis (lesæ maiestatis, hæresis, falsæ monete, tunc etiam receptionis, uel admissionis, & approbationis probationum scholasticorum admittendorum ad collegium causis, dumtaxat exceptis) nõ

Q V A R T A

singulares personas collegij priuatim, sed publice collegium attingen-
 tibus quoquomodo, idem Episcopus, uel eius uicarius generalis uisita-
 tor prædictus, & nullus alius adiri possit, & debeat, uel quomodolibet se
 intromittere quancunq; etiam extra dictam uisitationem prorsus,
 ut nullus iudex, quacunq; etiam apostolica autoritate munitus exi-
 stat (nisi in sua facultate de hoc collegio, ac de uerbo ad uerbum de sta-
 tutis huiusmodi, specialis, & expressa fiat mentio) possit de ipso colle-
 gio, & eius causis, & negocijs, uel rebus, aut statutis ipsius, uel de alijs
 quibuscunq; collegium, aut prædictorum aliquod, quoquomodo attingen-
 tibus, se quomodolibet impedire, præter horum statutorum de-
 creta, alioquin sit irritum ipso facto, & inane, quicquid in contrarium
 a quoquam attentatum, seu quomodolibet factum fuerit. Præcipimus
 etiam rectori, & consiliarijs, ac singulis collegialibus, sub pœna periuri-
 rij, & priuationis collegij, quam incurrant ipso facto, ut si per Episcopum
 prædictum, uel alium quemcunq;, in bonis etiam mobilibus collegij,
 nedum immobilibus, uel iure, & libertate contingat aliquid ex supra-
 dictis attentari, statim sine mora per duos, quos collegium elegerit, re-
 iniuriamq; deferant ad dominum nostrum Papam, & D. Cardinalem,
 collegij protectorem, ipsorumq; fidem, & officium implorent, ac nego-
 cium usq; ad finem urgeant, & prosequantur, & si opus fuerit, uel si quis
 alius simile quid attētauerit, in graue dispendium, uel iacturam collegij,
 & iustitiam illic non possent fortassis consequi, ad potentissimum, &
 catholicum Hispaniarum Regem, cuius fidei, & patrocinio creditum
 est collegium, confugiant, cui explicata causa, & iniuria, supplicent, ut
 collegium in tanto discrimine tueatur, uindictaq; ab iniuria iniustorū
 improborumq; hominum, ut iustos, magnanimosq; principes decet, in
 suorum periculo, & calamitate.

Q V I N T A D I S T I N C T I O .



Equitur quinta Distinctio, ubi congeruntur quædam uti-
 les prohibitiones, & pœnæ delinquentium. Hic etiam con-
 tinetur forma communis præsentatoribus, ac generalis
 gymnasijs a rectore, & consiliarijs mittenda.

S T A T U T U M P R I M U M .

De pœna Blasphemantium, uel per deum, aut sanctos passim. te-
 mereq; iurantium, aut turpia uerba loquentium.

Quoniam

Quoniam in hac honesta, & sancta domo decet, ut omnes honeste non modo uiuant, sed etiam loquantur. Ideo statuimus, ut post secundam Rectoris reprehensionem blasphemantes deum, uel sanctos, pœna decem solidorum Bononien. uel aliàs, arbitrio rectoris, & consiliariorum puniantur. Iurantes uero per Deum, Virginem Mariam, uel alios sanctos, passim, ac temere, aut turpia uerba loquentes, idem rector arguat, & reprehendat, & arbitrio suo, & consiliariorum puniat.

Pœ.

STATVTVM SECVNDVM.

De pœna eius, qui mulierẽ aliquam in collegium induxerit, aut cũ ea intra, uel cum monacha etiã extra collegiũ cõcubuerit.

Item interdiciamus, ne quis collegialis mulieres aliquas, quãlibet honestas in collegium inducat: & si secus fecerit, grauiter puniatur, nisi forte mater uel soror, aut talis persona, cum qua naturale fœdus nihil criminis suspicari permittit, ueniret aliquem uisitatum; quæ licentia rectoris petita & obtenta, intro duci possit a filio, uel propinquo, & ad tẽpus breue, & publice retineri, nunquam tamen ad pernoctandum quãtuncq; sint coniunctæ personæ. Quicunq; igitur rector, aut alius, qui ad pernoctandum in dicto collegio mulierem aliquam induxerit, aut retinuerit, etiam si mater esset, uel uitium carnis ibidem cum aliqua perpetrauerit, aut in monasteriis sanctimonialium, in ecclesia, alijsq; cõmunibus, & patentibus locis exceptis, de nocte, uel de die intrauerit, libidinis causa, aut extra ipsarum monasteria cum aliqua ex eis uitium similiter carnis commiserit, aut cõcubinam habuerit, idest mulierem aliquã quam ipse alat causa libidinis, ultra pœnam periurii, in quam incidat, ipso facto, sit eo ipso priuatus omni iure, quod ad collegium habuerit. Et de ipso protinus expellatur. Permittimus tamẽ, ut licentia rectoris, mulieres antiquæ non suspectæ possint intrare ad ministrandum aegrotantibus, si eis necessarium, uel commodum erit: quæ ob alias causas, etiã si lotrices sint, in cubicula sua a collegialibus non admittantur.

Pœ.

Pœ.

STATVTVM TERTIVM.

De pœna furantium aliquid de bonis, uel rebus collegii, uel fociorum possessionum.

Item Statuimus, ut si quis collegialis, capellanus, uel domesticus collegij panem, uinum, uel carnes, aut aliquid de cubiculorũ supellectile, uel

- quodcunq; aliud ad ipsum collegium pertinens, uel ad socium possessionis collegij, furto subtraxerit, aut hoc fieri consenserit, uel consilium ad id, fauoremue dederit, aut sciens ad Rectorem non detulerit, si illud ualorem unius libræ Bononiensis non excedat, dimidia unius anni prouisione sit ipso facto priuatus, pro prima uice, pro secūda uero, aut si illud in prima uice, ualorem dictæ libræ exceſſerit, ultra restitutionem, quam
- Pœ. furatus leſo facere debet, ipse, & consentientes prouisione unius anni, sint ipso iure priuati. Pro tertia uero uice, aut si iterum deprehendatur in delicto simili, quod unius libræ ualorem excedat, ultra pœnam periurij, in quam incidat ipso facto, de collegio penitus expellatur. Quin etiam si res prima uice subtracta, ualorem exceſſerit librarum quinq;
- Per. Bonon. ultra pœnam periurij, sit eo facto priuatus omni iure, & comodo collegij, & usq; ad satisfactionem rei ablata, in uinculis cippi custodiantur, & post satisfactionem, de collegio protinus expellatur.

STATVTVM QVARTVM.

De pœna portantium arma, & percutientium, aut ad percutiendum capientium.

- I**tem sancimus, ut nullus collegialis arma, etiam large, sumpto uocabulo, possit portare, tam defensua, quam offensua, nisi licentia Rectoris in casu licito, & prius de hoc fide facta ipsi, & Consiliarijs: alias ultra perditionem armorum arbitrio Rectoris, & consiliariorum puniantur,
- Pœ. Permittimus tamen, & concedimus auctoritate Apostolica rectori, cū tribus famulis arma portare, sed propter summam collegij, & rectoris auctoritatem, & honestatem uolumus, quod ipse rector dicta arma nō deferat, nisi iusta de causa per consiliarios, uel maiorem partem cognita. Si uero armis collegialem, uel capellanum percusserit, etiam ita leuiter, ut nullus inde sanguis profundatur, omni iure, quod habet in collegium priuetur, & ab eo protinus expellatur. Si uero non percusserit,
- Pœ. sed percutiendi animo sumpserit, ad duos menses collegio priuetur. Si autem percutiendi animo sumpserit, qui statim post uerba contumeliosa, uel iram indicantia sumpsit. Si uero ministrum domus percusserit cū sanguinis effusione, uel sine, dum tamen atrociter, per annum a collegio pellatur. Qui uero percusserit externum, si extra collegium quatuor, si intra, sex mensibus collegio priuetur, nullum interim emolumentum à collegio capturus. Item si quis collegialis prouocauerit alterum collegialem, uel capellanum ad certamen singulare animo deliberato,

deliberato, aut prouocatus uenerit, seu conditionē acceperit, aut si quis se prouocasse gloriabitur, priuatione collegij puniatur. Qui uero non deliberato animo, sed in ipsa rixa uerbatenus prouocauerit, aut prouocatus acceperit conditionem, ulterius non progrediendo, ad mensam, pellatur à Collegio.

Pri.

STATVTVM QVINTVM.

De pœna uerbis rixantium, & ad uerba sine armis præcedentium & alteri parti fauentiū.

Item collegiales, uel capellani, in collegio, uel extra rixantes, arbitrio Rectoris, & consiliariorum puniantur. Quos omnes qui adierint ad concordiam quantum poterunt reuocare teneantur. Siquis autem rixantium placari noluerit, aut in gratiam reddere, admonitus à Rectore, & consiliarijs recusauerit, teneatur statim exire collegium, sub pœna periurij, extraq; maneat, quandiu in sua perseverauerit contumacia, in qua tamen si ultra sex dies perseverauerit, & monitus à rectore publice in triclinio collegii, si propter absentiam eius coram fieri cōmode non poterit, à collegio penitus expellatur, quas tres admonitiones rector facere septimo, octauo, & nono die contumaciæ, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, teneatur, & omnes collegiales ei fauere ad exequendum pœnam, sub pœna periurij, & priuationis salarij unius anni. Si uero processerint ad uerba sine armis, & non fuerit sanguinis effusio, quinque diebus aggressor in cippū coniciatur, saltē uno pede, & die quarta solutus, pane & aqua, coram omnibus in prima mēsa faciat pœnitentiam in tertia, uel quarta tabula, nisi forte colaphū incusserit collegiali, uel capellano, aut uirga, ligno, uel arūdine, & similibus percusserit, animo inferendi iniuriā, quod Hispani dicunt, darde palos, quia pro tali delicto uolumus, ut à collegio ad duos annos protinus sit expulsus. Et si quis alteri rixantiū fauerit, uel præstiterit auxilium, pœna quæ principali delinquenti simplex imponitur, in eum duplicetur.

Pœ.

Pœ.
excō.

Per.

Pœ.

STATVTVM SEXTVM.

De pœna maledictiū, uel in famantiū coram, uel in absentia, susurrantiū, & seditiosorum.

Statuimus etiam, ut si quis collegialis alteri collegiali, uel capellano, in collegio, uel extra conuictum dixerit, aut ipsi detraxerit, ex qua de

Pœ. tracione sequi qui possit in famia, arbitrio Rectoris, & consiliario-
 Pœ. rum puniatur. Si quis porrò ad alterum detulerit se audiuisse ab aliquo
 uerba contumeliosa, uel difamatoria, de eo seuerius etiã puniatur, si non
 probauerit saltem per unum testem, & suum iuramentum, quia talis
 delator non processit secundum regulam euangelicam.

STATVTVM SEPTIMVM.

De pœna falsi testis, ac eius qui in periurium incurrit horum
 statutorum uigore, & eius qui Rectori non obe-
 dierit in licitis, & honestis,

Pœ. **I**tem statuimus, ut si quis collegialis, uel capellanus in aliqua causa te-
 stis iuratus falsum dixerit, pro prima uice prouisione duorum annorũ,
 pro secunda ad annum, pro tertia in totum a collegio pellatur. Qui ue-
 ro suæ salutis inmemor periurium uigore horum statutorũ incurrit,
 quod nunquam incurri declaramus, nisi in casibus in quibus statuta
 Pœ. expresse aliquid fieri præcipiunt, uel prohibent sub pœna periurij, pro
 prima uice tribus, pro secunda sex, pro tertia uero mulctetur nouem
 libris Bonon. qui si per has pœnas non redierit ad sanitatem, uisitato-
 ri denunciatur, & ab eo tanquã in corrigibilis de collegio pellatur.
 Illud autem in uniuersum declaramus, quod in hoc casu, & alijs ubi-
 cunq; in statuto pro prima, secunda, tertia uice, & sic deinceps impo-
 nitur (etiam nulla monitione præmissa) eadem, aut maior pœna, nun-
 quam debere posteriorem pœnam imponi, quantumcunq; iteratum,
 seu multiplicatum reperiatur delictum, nisi prior fuerit inflicta, hoc
 est executioni mandata, aut si per eos ad quos spectat punitio non ste-
 terit, quominus infligeretur, seu executioni mandaretur. Transgres-
 Pœ. sores uero liciti mandati Rectoris, sub pœna præstiti iniuncti, pœna
 trium librarum Bononien. pro uice qualibet, de portionibus retinen-
 darum puniantur. Nolumus tamen, in eam pœnam trium librarum
 aliqua uice incurri, nisi antegressa triplici monitione, per aliquarum
 horarum interualla (ubi alias mandatum huiusmodi celerem non re-
 quireret executionem) quis in sua durauerit pertinacia. Si quis autem
 pœnam a rectore, & consiliarijs coniunctim, uel diuisim, sibi ex sta-
 tutis, uel ipsorum arbitrio impositam, subire recusauerit, pro
 Pœ. prima uice pœna illi duplicetur, pro secunda ad an-
 num, pro tertia penitus a colle-
 gio pellatur.

Statutũ

STATVTVM OCTAVVM.

De pœna ludentium taxillis, aleis, aut chartis.

QVoniam talorum, alcarumq; ludus turpis habetur, quippe ex quo blasphemix, mendacia, periuria, rixe, & pleraq; alia incommoda nascuntur, ideo statuimus, ut nullus collegialis, capellanus, aut collegij famulus in collegio presertim, ludat taxillis, uel aleis, aut chartis, aut alias pecunia posita, aut alio quocunq; precio. Qui uero contrafecerit, pro prima uice prouisione duorum, pro secunda quatuor mensium priuetur, pro tertia acrius etiam a Rectore, & consiliarijs puniatur. Et si fuerit famulus, de collegio pellatur. Si uero animi relaxandi gratia, in cubiculo rectoris chartis aliquando, uel etiam in festo Natalis domini, & proximis festis, usq; ad Epiphaniam ludere uisum fuerit, rectoris arbitrio relinquimus, eius conscientiam onerantes, ita tamen ne hoc forensibus, post collegium clausum liceat, nec domesticis ultra dimidiam noctis: contrarium uero si rector permiserit per quamlibet uice muldetur sex libris, ex ipsius salario. Permittimus etiam eiusdem rectoris licentia, prius petita, & obtenta, & non alias, sub pœna unius libræ Bonon. pro uice qualibet, cuilibet collegiali, aut capellano contrarium facienti imponenda, ut iisdem possint diebus quibus ordinaria in scholis non legitur, & non alias in collegio pila ludere, dum tamen id moderate, & ad breue tempus fiat. Prohibentes etiam ne quis externus possit in collegio prædictos ludos etiam pile ludere, sine licentia rectoris, cuius in hoc conscientiam multum oneremus.

Pœ.

Pœ.

Pœ.

STATVTVM NONVM.

De pœna canentium lyra, aut alijs instrumentis, & tripudiatiũ, & eorũ qui personati collegiũ exeunt, uel ingrediuntur. Item cellã uinariam, uel coquinã intrantiũ, aut aliquid de suppellectile collegij sibi sumerentium, & ad possessiones collegij sine rectoris licentia euntium, eoq; suspectas mulieres adducentium.

Item prohibemus musicorum instrumentorum uocumq; cantus fieri per collegiales, uel capellanos, uel alios in collegio, nisi siquis animi relaxandi causa, in suo cubiculo sine molestia, seu incommodo collegialium, aut uiciorum personare, aut canere uoluerit. Similiter prohibemus tripudia, choreasq; fieri; contra uero facientes, rectoris, & consi

- liariorum arbitrio puniantur. Intranses etiam aut exeuntes collegium personati, uel induti talibus uestibus, licet a facie personam amouerint, eorundem arbitrio puniantur. Intranses uero cellam uinariã, uel coquinam, sine causa iusta, pro uice qualibet pœnam decem solidorũ Bonon. incurrant: quæ porro dicatur causa iusta, uel secus, rectoris, & consiliariorum arbitrio dari uolumus, & eandem pœnã incurrat, quicumq; aliquid de instrumento, uel suppellectili coquo, uel famulo triclinario, ad usum collegij assignatis, sibi assumpserit. Prohibemus etiam ne quis collegialis, sine licentia rectoris, accedat ad possessionem aliquã collegij: contra uero facientes una libra Bonon. pro uice qualibet multetetur, de sua prouisione per Oeconomum abstrahenda. Si uero meretricem, uel aliquam suspectam mulierẽ eodem adduxerit, prouisione unius anni pro prima uice priuetur, pro secunda ad annum, pro tertia uero de collegio penitus expellatur.

STATVTVM DECIMVM.

De pœna ueniẽtibus foris collegij clausis, aut per fenestrã, uel parietes, aut alias sine rectoris licẽtia, de collegio exeũtis, uel intrãtis, uel extra collegiũ pernoctãtis, & eius qui collegio digressus decẽ dies abfuerit.

- I**tem statuimus, ut si quis collegialis post clausas fores, uenerit ad collegium nequaquam ei aperiatur absq; licẽtia rectoris, & die postero pœne, & aqua coram omnibus in triclinio discumbentibus, faciat pœnitentiam. Si uero secundo in eundem errorem inciderit, tribus diebus idem patiatur. Sin autem tertio, priuetur totius anni prouisione, nisi aliquã iustam, & legitimam excusationem, de qua Rectori fidem faciat, statim cum collegium intrauerit, saltem per iuramẽtum attulerit. Si uero propter istas pœnas non redierit ad sanitatem, de collegio protinus expellatur. Porro si quis clausam ianuam collegium exiuerit per fenestram, uel per parietẽ uel, alias, sine licentia Rectoris, ultra pœnã periurij, in quam incidat ipso facto, priuetur omni iure, quod habuerit in collegium, & de ipso protinus pellatur, rector uero scienter hoc permittens, & clauẽ alicuius portæ collegij concedens alicui, ut possit de nocte latenter, exire, simili pœna subiaceat, acrius etiam puniendus per ipsum Collegij uisitatorem. Et si quis collegialis, uel capellanus extra collegium pernoctauerit, sine rectoris licentia speciali, quam nisi ex iusta causa concedi alicui prohibemus, quam rectoris arbitrio committimus, ipsius cõsciẽtiam onerando, pro prima uice priuetur medietate prouisionis unius anni,

anni, pro secunda, poena dupliciter, pro tertia de Collegio expellatur. Sin autem per decem dies sine licentia rectoris abfuerit, a collegio sit priuatus omni iure quod habet in ipsum.

STATVTVM VNDECIMVM.

De poena dormientis in alterius cubiculo, uel literas ad alterum missas surripientis, uel quoquomodo accipientis, & non reddentis, & eius qui non præcipuam operam impenderit doctorinam, ad quam in collegium fuerit admissus.

Item statuimus, ut nullus collegialis, uel capellanus, in alterius cubiculo, nec nocte dormiat, sub poena priuationis collegij, nec die, sub poena unius libræ Bonon. pro singulis uicibus, nisi forte gratia inferuendi collegiali, palam ægrotanti, & in lecto iacenti. Itē si quis literas ad alterum de collegio missas undecumque, uel a quocumque acceperit, uel aperuerit aut receptas lacerauerit, uel ei cui mittebantur non reddiderit intra biduum, pro prima uice prouisione unius anni priuetur, pro secunda duorum, pro tertia de collegio penitus expellatur. Qui uero relicta facultate, ad quam in collegium est admissus, ad aliam se transtulerit, uel ei minus principaliter operam dederit, in poenam periurij incidat ipso facto, & de collegio expellatur. Si per rectorem, & consiliarios, ter monitus non resipuerit, nec tamen ante tertiam monitionem, ex transgressione periurij habeatur. Cæterum rectorem, & consiliarios, ad dictas monitiones faciendas, sub poena periurij, & librarum decem Bononiensium uolumus teneri; Quas poenas incurrant, si neglexerint ipsum monere post decem dies, ex quo eis innotuerit, ipsum scholasticum tale quid committere. Statuimus etiā, ut tam hæc admonitiones, quam omnes alie a rectore, aut etiam consiliarijs adhibendæ, semper fiant coram duobus collegialibus, ut aliorum diligentia, aliorum contumacia probari possit.

STATVTVM DVODECIMVM.

De poena obtrectantium Rectori, uel consiliarijs, propter poenas iniurias, & contumelia rectorem afficientium, uel in statum collegij, aut Rectoris caput coniurantium, uel eius honori obstantium, & secreta collegij enunciatium.

Statuimus, ut si quis collegialis propter poenam sibi iniunctam obtrectauerit rectori, uel consiliarijs, dicendo, quod ea est iniusta, uel magna,

- Pœ. pœna eidem duplicetur, si quis autem conuitio rectorem affecerit, pro
- Pœ. prima uice, pœna librarum decē Bonon mulctetur, uel grauius pro contumelia magnitudine, arbitrio consiliariorum puniatur, pro secunda a collegio per annum pellatur, nihil ab eo interim habiturus, pro tertia expellatur penitus de collegio. Præterea si quis collegialis, aut capellanus rectorem (quod absit) percusserit, aut graui conuitio, uel contumelia affecerit, aut in caput eius, uel in statum, siue dignitatem collegij cōspirauerit, sit ipso iure priuatus collegio & excommunicatus, latae sententiæ excōmunicatione, a qua non possit absolui, nisi ab Episcopo Bonon. uel eius uicario, quem obtestamur per Christum, ut memor sit officij sui, nec ita delinquentes absoluat, sine acerba pœnitētia. Itē si quis de collegio caperit procurare, seu petere in uniuersitate studij, seu alibi in ciuitate Bononiensi cathedram aliquam, seu officium utile, aut honorificū, nullus alter de collegio illum turbet, aut quouismodo impediat, sed iuet potius, sub pœna arbitrio rectoris imponenda. Qui uero secreta collegij, quæ celari magni referat ipsius, alicui enunciauerit absq̄ cōsensu saltē maioris partis collegij, ad hoc legitime congregati, ipso facto sit priuatus collegio, & ab eo protinus expellatur. Quæ autē sint talia secreta si dubitetur, stetur eius sententiæ, cui collegium subijcitur.

STATVTVM DECIMVM TERTIVM.

De remedio contra iniuriam illatam a Rectore, & magnas Collegialium seditiones.

- Pœ. **I**tē statuimus, ut quilibet collegialis de iniustitia in se rectoris, & consiliariorum queri possit apud uisitatorem cum collegium uisitauerit, & officium eius implorare, non ante, nisi oporteat rectorē, & consiliarios recedere, uel etiam ipse qui queritur esset discessurus; tunc enim licebit ei, queri ante tempus uisitationis (ut dictum est.) Si tamen, quod absit, rector alicui collegiali alapam incuserit, aut alias opere grauem iniuriā, aut magnū grauamen per pœnam arbitrariam intulerit, uisitator prædictus statim adiri possit: qui cognita ueritate, rectorem puniat iuxta formam statutorum. Si quis tamen prætextu magni grauaminis uisitatorem ante mensem Maium adierit, & iudicatum fuerit ab eodem, non esse magnum grauamē, rectore uidelicet citato, qui sic adierit, ultra pœnam impositam, pellatur a collegio in sex menses. Quotiens uero inter ipsos collegiales (quod deus auertat) magna seditio extiterit, uel discordia, quæ per rectorem, & consiliarios sedari non possit, nemo ad alios, quam

quàm uisitatores supradictos gradatim, quibus collegium subijcitur, super huiusmodi discordijs confugiat. Quod si forte prædicti omnes iustitiam non fecerint, ad Papam, & Cardinalem collegij protectorem, & non ad alium, seu ad alios confugiatur: alioquin contrarium facientes, aut alios quoscunq; fauores interponentes, seu querentes, aut quouis modo procurantes, pro prima uice ad annum, pro secunda uero penitus a Pœ. collegio pellantur.

STATVTVM DECIMVMQVARTVM.

De Pœna rectoris, & cõsiliariorũ si negligentes fuerint in pœnis infligendis, & de prouisione cõtra Rectore Statuta non seruante, nec ut seruentur curantem, uel bona collegii male administrantem.

SI Rector, & consiliarij fuerint negligentes imponendo pœnas suo arbitrio iniungendas, uel alias, ultra triduum, quilibet illorum sit priuatus pro qualibet uice una libra Bononiensi: & nihilominus reo pœna iniungatur per eosdem, & si in secunda uice fuerint negligentes, ultra aliud triduum, pœna duplicetur eorum cuilibet. Si uero negligentes fuerint in pœnas iniungendo, statutis expressas ultra triduum (ut dictũ est) eorum quilibet cũ reo eadem pœna, si est pecuniaria mulctetur, sin alia tribus libris Bonon. pro uice qualibet, eorũ quisq; mulctetur: & nihilominus pœna iniungatur delinquenti. Et si in secunda uice, uel ultra aliud tridũ fuerint negligentes, pœna duplicetur, ut superius est expressum. Si uero (quod absit) rector ipse, in huiusmodi statuta obseruando, uel ut ab alijs obseruentur, fuerit negligens, uel contra ipsorum statutorum formam aliquid fecerit, uel etiam cõsenserit, uel bona collegii male administrauerit, statim per duos antiquos collegiales, sub pœna periurij, si hoc facere neglexerint, iuxta ueritatem euãgelicam secreto admonentur, ut a negligentia, uel incepto desistat, quod si noluerit eos audire, ipsum coram duobus capellanis collegij, uel alijs collegialibus admonentur, quod si contemptis ijs admonitionibus, a talibus inceptis cessare neglexerit, statim dicti collegiales teneantur quempiam uisitatorum adire, humiliter ipsum precantes, ut statuta faciat obseruari, quem uisitatore rogamus, ut Rectorem ad ipsorum obseruationem inducat, & nolentem etiam corripiendo, & puniendo compellat: prius tamẽ cognita ueritate, mulctand o quoq; ipsum, pœna sex ducatorum ex salario, quo

rum quatuor ipsis denunciatis, duo capsa pœnarum, applicentur alijs pœnis in statutis contra ipsum, & consiliarios contentis, in suo nihilominus robore duraturis. Si uero tales denunciâtes uisitati, in probatione defecerint, ultra pœnam periurij, quam incurrant, sint ipso facto privati prouisione unius anni. Sin autem huiusmodi antiquiores in his fuerint negligentes biduum, postquam de hoc per quęcunq; de collegio, coram duobus capellanis, fuerint requisiti: quilibet alius ipsorum negligentiam supplens, ultra prædictos quatuor ducatos ipsi, de salario rectoris (ut dictum est) applicandos ab ipsis antiquioribus, in pœna negligentia ipsorum, sex libras Bononienses consequatur. Reliqui uero qui huiusmodi admonitionis, & denunciationis forma non seruata, Rectori obtrectantes de mala gubernatione, & de alijs huiusmodi inuidiam in ipsam concitantes, ipsius rectoris, & consiliariorum arbitrio, puniantur.

STATVTVM DECIMVMQVINTVM.

De pœna Oeconomi, remanentis in fine sui officij cum pecunijs collegij, & aliorum collegialium, qui pecuniam recipiunt ex quacunq; re collegij.

Item occurrentes fraudibus, & damnis, quę collegio euenire possent, ex detentione pecuniarum, per Oeconomos dicti collegij, statuimus, ut nullus oeconomus in fine sui officij, scilicet in fine mensis Aprilis, remaneat debitor collegij, pecunię, cuius summa, excedat quinquaginta libras Bononienses, siue in pecunia, siue in rebus alijs, alioquin sit ipso facto priuatus omni iure, quod habet ad collegium, ac de ipso protinus expellatur, neq; aliquo modo possit circa hoc dispensari, neq; per totum collegium, neq; per uisitatorem, nec coniunctim, nec diuisim, sed omni excusatione remota, ipso iure priuatus existat, & hoc, ne prætextu alicuius causę audeat abuti pecunijs collegij, statuentes etiam, ut per totum mensem Iunium proxime sequentem, teneatur soluere, quamcunq; summam, collegio debeat, alijs perdat salarium, & annum quę ipsi ratione officij debentur. Iubentes ut omnes, & singuli collegiales, debeant ad executionem prædictę expulsionis, præstare auxilium, & fauorem ipsi rectori, pœna excommunicationis, & expulsionis cuilibet ipsorum proposita, si quis auxilium ferre neglexerit.

STATVTVM DECIMVMSEXTVM.

Vt penultimus Collegialis appendat carnes, & pisces, ultimus
uero scribat expensum panis, & uini, nec claues ali-
cui famulo permittat.

Item statuimus, ut collegialis penultimo loco in collegium admissus,
teneatur appendere carnes, & pisces, qui singulis diebus ad collegij ui-
dum ementur, & interesse portionum distributioni ab expeditore fa-
cienda, & aues numerare, quæ coquo tradentur, & omnia in libello de
scribere, unde collegij ratio constare possit, quæ munera, si quis neglexe-
rit obire, rectoris arbitrio puniatur. Item statuimus, sub pœna eadem,
ut nouissimus collegialis, non solum panis, sed etiam uini expensum
perscribat, ut harum quoq; rerum constet ratio, nec huic liceat claues
cellæ uinariæ, aut eius qua panis asseruatur, alicui famulorū cōmitte-
re, sub pœna, & multa sui salarij, in qua negligentia, si sæpius fuerit de-
prehensus, grauitèr arbitrio rectoris, & consiliariorum puniatur.

Pœ.

Pœ.

STATVTVM DECIMVMSEPTIMVM.

Quod nemo de Collegio possit fideiubere in causis collegij.

Item collegio pariter, & collegialium utilitati consulentes, statuimus,
ut nemo de collegio possit in ipsius collegij causis fideiubere: quicquid
contrafactum fuerit, irritum, & inane decernentes. Iubemus etiam, ut
nemo ad castra ire permittatur sine iusta causa, de qua rectori, & cōsilia-
rijs fidem facere cum iuramento teneatur.

STATVTVM XVIII.

Quod nemo externus adducatur ad possessiones.

Item ne socij possessionum iniquis oneribus grauentur citra collegij
commoditatem, rector, cum mense Maio, uel Aprili possessiones uisita-
uerit, neminem secum adducat externum, ac ne collegialem quidē, præ-
ter consiliarios, aut totidem loco ipsorum collegiales; considerandi
enim possessiones eundem illis est, non conuiuandi gratia. Alijs uero
mensibus, uno commite, eoq; collegiali, uel curatore sit contentus.

H ij

Q V I N T A
STATVTVM XIX.

Quantum possit rector in fabricis expendere.

Item sancimus, ne rector possit absq̄ consensu maioris partis Collegij in una fabrica expendere plusquam libras quadraginta: nec in pluribus simul ultra centum. Alioquin, rector, & si quos consiliarios haberit consentientes soluant de suo quicquid dictas sūm. as (ut dictū est) excesserit.

STATVTVM XX.

De dispensationibus non admittendis.

Item sancimus, ut nemo admittatur ad collegium sine utroq̄ titulo, & probationibus sui generis, uigore cuiusuis dispensationis, sub pœna periurij, quam rector si talē causam retulerit ad collegium, & quicumq̄ collegiales super huiusmodi rebus, dispensationem aliquam admittendam tēserint, uel in hoc fuerint suffragati, aut fauorem precibus, uel alio modo præstiterint, incurrant. Sed ne de leuioribus quidem rebus dispensationes sine iusta, & honesta causa admittantur, sub eadem pœna. Et tunc admitti non possint nisi maiore parte collegij, ad quod referri debeat, consentiente, non obstantibus quibuscunq̄ consuetudinibus, legibus, siue statutis in contrarium facientibus.

STATVTVM XXI,

De cōmutatione pœnæ expulsionis ad paucū tempus a' collegio & de expulsorū ad multum uestitu, & de nō se absentādo sine licētia.

Quoniam propter collegialium expulsiones ad paucum tēpus a' collegio quam plurima incommoda, & honestati, & professioni eorū contingere cognouimus. Statuimus omnia, & singula statuta loquētia propter aliquod delictum collegialem expelli a' collegio ad unum, uel duos, & usq̄ ad tres menses coniunctim, uel diuisim, nullam in hoc habeant firmitatem, sed loco prædictæ pœnæ trium mēsum coniunctim, uel diuisim collegialis, qui secundum formam prædictorum statutorū, uel alias arbitrio rectoris, & consiliariorum in ea ueniret puniendus tantummodo priuetur uoce actiua, & passiuā, & in omnibus habeatur sicuti si fuisset extra collegium, & pro mense quolibet mulctetur tribus scuti si

ti si fuisset extra collegium, & pro mense quolibet mulctetur tribus scutatis aureis ex salario retinendis quod si non habuerit mulctetur in ordinarijs portionibus, ita ut oeconomus eum non describat a die condēnationis in libris rationum, & si descriperit rector, & consiliarij non admittant, alias de suo soluant in sindicatu. Et si non fuerit tātum temporis in collegio, quòd prædictæ portiones sufficiant ad implementum, tunc in ipsius bonis fiat executio. Si aliquis uero collegialiū, propter aliquam causam ultra prædictos tres menses ad tempus expellatur a collegio, in omnibus sicuti si expulsus nō fuisset, sit sub potestate rectoris, & consiliariorū, & sine ueste, & caputeo incedat, & ex sirico possit tunica, & calceis uti absentandi se a ciuitate, & eius comitatu nullā prorsus licentiam habeat nisi prout in alijs collegialibus hoc statuta disponunt.

STATVTVM XXII.

Item ordinamus, & statuimus, quod quotiēs rector quacunq; de causa conuocauerit collegium, aut consiliarios, & aliquam causam ad eos retulerit teneatur sequi maiorem partem ipsorum ne quos in consilium adhibuerit paruifacere uideatur cum alioquin plures melius quā unus ex eis ualeant iudicare.

Sequitur forma Communis.

Reliquum est, ut in hac parte statutorum ultima, in quandam uelut formam, quam breuissimè poterimus, redigamus cuncta, quæ scire oportet præsentaturos, præsentandosq; posthac, ad hoc collegiū Hispanorum Bononiæ conditum, auspicijs bonæ memoriæ Aegidij Albornotii, quam formam dimitti uolumus ad singulas ecclesias, & ad præsullem principemq; uirum familiæ Albornotiæ, & ad singulas generales academias Hispaniæ, in qua primum nominatis præsentatoribus, & disciplinis ad quas possint præsentare, literarum formam subijciemus, & quibus ex locis scholastici præsentandi sint, & quantum pecuniarum pro literis, atq; sigillis daturi.

IN Christi nomine amen. Reuerendissimis, ac Reuerendis in Christo patribus, dominis, dei, & Apostolicæ sedis gratia Toletano, Hispalensi, Casaraugustano, Compostellano, Vlyssipponensi, archiepiscopis, Cōcheni, Saguntino, Burgensi, Palentino, Cordubensi, Legionensi, Oxomēsi, Abulensi, Salamantino, Ouetensi, Episcopis, decanis, Capitulisq; ipsarum ecclesiarum, quorum quidem præsulum, cum suarum ecclesiarū ca-

pitulis ius est, in perpetuum scholasticos præsentandi, ad collegium hispanorum Bononiæ cōditū, auspicijs bonæ memoriæ Aegidij Albernotij, S. R. E. quondam Cardinalis Episcopi Sabinensis, & Archiepiscopi Toletani, necnō. N. Albornotio præfuli de dicta familia. Et Ill. uiro. N. Albornotio, albornotiæ familiæ principi, ad quos singulos etiam pertinet, scholasticos præsentare ad theologiæ, iuris canonici, & medicinæ facultatē, iuxta statuta dicti collegij, omnibusq; alijs in uniuersum, ac sigillatim, ad quos pertinet quomodolibet, aut pertinere poterit huiusmodi præsentatio, quibuscunq; nominibus censeantur, aut dignitatibus præfulgeant, rector, & consiliarij prædicti collegij salutē in domino.

Quia nō modo ex nostris statutis tenemur, admonere uos: certiores que facere de modo, & forma, scholasticos ad collegiū nostrū præsentādi, sed etiā summe cupimus, scholasticorū cōmodis consulere, quorū pleriq; quarundā rerum ignoratione non mediocrē iacturam laboris, & impensæ fecere: idcirco officij esse duximus uos his literis, quo pacto deinceps scholasticos præsentare debeatis, edocere. Primū omniū scholastici præsentati debēt ad nos afferre literas præsentatitias (quas titulos more nostro nuncupamus) alteras præfulis, alteras capituli, in quibus literis quemadmodū in literis procerū familiæ Albornotiæ, exprimi debent nomina, & cognomina scholastici præsentati, & ipsius parentis utriusq; locus quoq; habitationis, ac diœcesis eorū, literas autē capitulorum decani, aut eo absente proximæ dignitatis, & duorum canonicorū, & Notarij publici nominibus subscriptas esse oportet, & capitulari sigillo signatas, præfulum uero tituli manu & nomine cuiusq; ipsorum, secretariorūq; subscribantur, ac sigillis obfignentur, quod dictū intelligatur etiā in titulos principis uiri, Albornotiæ familiæ, qui tamē præfules si extra fines suarum diœcesum, uel plus decē leucarū ab hispanis dictarū interuallo, a suis ecclesijs abfuerint, ut parcatur laboribus, ac expensis scholasticorū, suis cuiq; principalis in iure dicendo uicarius, in iure præsentandi succedat, ita tamen, ut in huiusmodi literis absentia præfulis mētio fiat expressa. Quos omnes præsentatores hortamur iure statutorū nostrorū, ut ex suis ciuibus, aut certe diœcesanis præsentent, qui si se non obtulerint, aut quæsi non inuenientur, licebit quidem, & alios sed ex eo dumtaxat regno, ubi ipsorū ecclesia sita est præsentare, hoc est CæsarAugustani ex Aragonia præsentare debent, Vlyssipponenses ex Portugallia, cæteri omnes etiā princeps Albornotiæ familiæ ex regno dumtaxat castellæ latæ uocabulo, ut solet intellecto, ut Toletum, etiam atq; betica cōprehendatur. Modo sciant scholastici non posse ex singulis diœcesibus, quarum ecclesiarum nullū est ius præsentandi, simul esse

nisi

nisi tres ad summum in collegio. Præterea ipsos præsentatores impense rogamus, ut scholasticos, quos ipsi tanto beneficio prosequuntur, faciant per suos officiales humane, ac benigne tractari, nec ab eorum exiguitate plus dimidio ducati extorqueri, pro literis, & sigillis patiantur. Hactenus de præsentatoribus, nunc de scholasticis præsentandis pauca dicamus. Scholasticos quoque his nostris literis admonitos uolumus, ne literis præsentatijs sine titulis impetratis, & apud nos exhibitis statim temere, ac sine delectu se in collegium admittendos esse putent. Nā primum christiani ueteres esse debent, ex utroque parente, & ex legitimo matrimonio procreati, & uigesimum primum ætatis annum nati, deinde tres annos in aliquo generali gymnasio operam dialecticæ, ac philosophiæ dedisse, qui futuri sunt Theologi, aut Medici, uel alterutri iuri, si iuris scientiam debent profiteri. Tū a quibusdam rebus, siue notis, de quibus infra dicemus abhorrere. Ne quis igitur nostrorum statutorum ignorantia labatur, & frustra laborem impensamque suscipiat, in hunc modum, & quasi formulam se comparare, atque instructi ad nos uenire debent scholastici, qui uoluerint ad nostrum collegium admitti. Qui urbem incolet, cui præsit Episcopus, coram ipso, uel eius generali uicario: qui aliud oppidum, aut uicum, coram iudice quocumque ordinario, aut si nullus in his fuerit coram proximi oppidi, aut uici iudice. Quinque saltem testes christianos antiquos, omni exceptione maiores per se, uel per procuratorem producat quorum singuli iurati, & secreto à iudice, siue iussu eius à notario rogati, ac examinati uerissime testentur, ipsum scholasticum non esse Iudeum, Maumethanum, hæreticum, uel reconciliatum, nec aliqua ex parte genus ducere à Iudæis, Maumethanis, hæreticis, uel reconciliatis, sed potius esse christianum antiquum ex utroque parente, & quod tali nomine ipse, & parentes uulgo fuerunt censi, ac reputati. Quæ testimonia iudex faciat excipi, & in acta redigi per Notarium publicum, & antiquum nihilominus christianum: & testes per se quisque, aut si nescit scribere, per alium, testimonium suum subscriptione confirmet. Quas subscriptiones afferri uolumus, ad nos aut notarij prædicti testimonium, quod in eius registro testes suis testimonijs sub scripserint. Testes autem eius loci esse debent, quem pater habuerit, quia genus, & res nostras melius nouere uicini. Nisi forte dictus pater a patria commigrauerit alio, tunc enim testes, & testimonium inde sumi uolumus. Vbi maior pars consanguineorum scholastici fuerit, & omnino ubi uerisimile est, genus ipsius maxime esse notum. Ut uero constet, testes & notarium prædictos esse christianos antiquos, testes inter se testentur in dicto testimonio, & de notario prorsus, ut singuli à ternis christiani ueteres esse comprobentur. Nisi for-

te, quod apud nos maioris est ponderis, & usitatus, uelint corā eodem iudice, & alio notario alios tres testes producere, qui testentur iurati, alios quinque testes, & notariū esse christianos antiquos (ut dictū ē) quod testimoniū, uel testimonia claudantur, & sigillo iudicis obsignentur.

Debēt præterea scholastici prædicti, fidem facere per publicū instrumentum rectori, & consiliarijs, fuisse se se ex legitimo matrimonio procreatos, deinde attigisse saltem unum, & uigesimū ætatis sue annū: non esse diuites adeo, ut ipsorum qualiacumque uectigalia summā quinquaginta ducatorum Bononiam portatorum excedant, modo ne paternæ diuitiæ quantumlibet ample filio ad ingrediendum collegium sint impedimento. Præterea nauauisse operam in aliqua generali academia triennio saltem iuri canonico, aut civili, si iuris debet esse professor. Si theologia, medicine, artibus, & philosophiæ: idque postquam grāmaticam satis fuerit edoctus. Nam cū in cæteris fuerit approbatus, lectionem habere debet ex ea quisque facultate coram rectore, & collegialibus: & horū aliquid, contra se rationes aliquas obijcientibus, respondere, ut de ingenio eius, atque indole possit fieri iudicium. Penultimo uero non esse monachū, aut fratrem religiosum. Sed nec canonicum quidem regulare, aut omnino aliquam religionē professum, aut coniugatum: Collegij enim corpus unum ex tam disparibus membris constare, monstrum simillimum esset. Item nec contagioso morbo laborantem, qualis est lepra, aut morbus gallicus, siue horrendus sit, qualis comitialis, aut minus ingenue uixisse exercitum aliqua uili arte, aut in abiecto ministerio cuiusque famulatū nec famulum, siue familiarē alicuius collegij fuisse. Postremo fratrem nec auunculum, patruū, uel nepotem habere in collegio, nam tūc temporis nō admittetur. Sine his enim adiumentis, & instrumentis nemo, ut supra dictum est, ad collegium admittetur non magis quam sine titulo quidem, qualem diximus, attulisset. Illud uero meminerint scholastici testimonia prædicta allaturi, quod si post ipsorum admissionem, aliquis dolus, aut falsitas, in quo uis testimonio, aut titulis, aut eius persona deprehendatur (quod diu nunquam nos latuit) expelletur is turpissime a collegio, & quæ a collegio acceperit emolumenta restituere cogetur, & collegiū quod ad examinandas huiusmodi probationes & instrumenta certis temporibus solet nuncios, & perquisitores mittere, contra iudices, testes notariū, qui fuerint in culpa iure procedet ad sumendas pœnas ab ipsis.

Quomodo perquisitor in Hispaniam mittendus, probationes a collegialibus allatas examinare debet ad probandum, aut reprobandum.

Per

Perquisitor autem in Hispaniam mittendus ad examinandum probationes collegialium, primum adibit notarium cuiusque instrumenti, a quo, si manus suæ scripturam agnouerit, registrum sibi ostendi petet, & subscriptiones testiū, si fuerint in ipso relictæ. Deinde, testes et ipsos singulos, quoscunque nactus, erit conueniet, ac de testimonio ab ipsis lato percunctabitur. Tum si notarium, subscriptiones, ac testes cum scriptura probationum conuenire, & nil dolo, nihil fraude factū repperit, adhibebit alterū notariū christianū ueterē, corā iudice cōpetente, & alias probationes faciat de genere collegialis per quinque testes, & de his testibus, atque notario, quales fuere priores; & hæc erit legitima approbatio, & confirmatio priorū probationū, si testes producti pro collegiali fuerint cōcordes, & contestes. Sin autem inter se dissenserint, aut fama publica in oppido illo fuerit prioribus probationibus contraria, aut quicquā fraudis, uel doli, de testibus, & notario, uel ab ipso commissum repperit, eodē modo per testes, & notarium christianos ueteres alias probationes reprobatorias faciet, ut eadē solennitas ad condemnandū reprobādūque seruetur, & requiratur, quæ ad approbandū, & confirmandum.

Quæ emolumenta scholastici accepturi sunt a collegio, & quā diu in ipso possint commorari.

Habebunt præfati scholastici in Collegio, suum quisque cubiculū omnibus rebus necessarijs instructum, candelarum, uel olei quantum satis erit ad uigilias, & lucubrationes accipiet. Præterea ad fouēdas cæteras indigentias, uicenas singulas libras Bononienses annis singulis, præter distributiones, quæ suppeditantur his, qui officijs diuinis in sacello collegij interesse uolunt, ad uestes autē, & focalia, siue caputeos, toto tempore libras quadragenas octonas. Itē in receptione graduū nō mediocre iuuamen, ut medicum, chirurgumque prætereamus, & cuncta necessaria ægrotantibus, & illa parua dictu, tonsorem famulos publicos, etiam ad res priuatas cuiusque peragendas, & similia. Nemo præterea aliquod priuatum commodum, aut prærogatiuam, cuiusuis conditionis sit, a collegio expectet, nisi quod Rector etiam centenarum tricenas libras, consiliarij senas, oeconomus quadragenas, Syndici binas plus alijs accipient. Quod uerō ad tempus attinet, poterunt octo annos in collegio, si rectè & studiose degerint commorari. In quorum omnium, & singulorum fidem, ac testimonium prædictorū, has literas Notarij nostri subscriptione, sigilloque Collegij, in grauissimis solito adhiberi roborauimus, & obsignauimus.

Declaratio statutorum circa pœnas .

Quoniam summa laboris, curæq; nostræ in condendis, & reforman-
dis statutis fuit, tum bono publico collegij, tum singulorum, etiam
collegialium commodis, atq; animi tranquillitati, & saluti consulere, ne
in magna hominum imbecillitate, non solum pœnas temporales pro-
posuisse, uideamur, sed laqueos etiam animis in æternam pœnam pecca-
ti mortalitæ tetendisse, idcirco decernimus, & declaramus nō esse men-
tis nostræ, ut statuta, in quibus pœna aliqua expressa est, obligent quen-
quam in foro animæ, siue conscientiæ, præterquam si pœna ipsa expres-
sa ad forum animæ pertineret: eiusmodi est pœna, excommunicationis,
siue periurij, & præterquam si quis in collegio uitium carnis commise-
rit, aut etiam extra collegium cum monacha concubuerit, aut in caput
Rectoris, uel statum collegij conspirauerit.

F. CAR. ^{lis} S. .†. PRO. ^{ctor}
APPROBAMVS, ET CONFIRMAMVS.

DE MANDATOR. ^{mi} ATQVE ILL. ^{mi} D. MEICAR. ^{lis}
Antonius Barba Secretarius.

Et ego Baptista olim Vincentij de Benatijs notarius ciuis pub. Apo-
stolica Imperiali, & Communis Bonon. ac sacri Collegij præfati no-
tarius, suprascriptæ compilationi, approbationi, & confirmationi, &
omnibus suprascriptis interfui, & de eis de mandato Reuerendiss. ac
Illustriss. D. Cardinalis Francisci. S. Crucis in Hierusalem, eiusdē Col-
legij Protectoris, & totius Collegij rogatus extitit, Infidemq; præmis-
forum hic me subscripsi, sub die decimo Aprilis. M. D. XXXVIII.
præsentibus Reuerendo patre fratre Antonio oris Mediolanensi,
Guardiano sancti Francisci de Bonon. & David de oxio decano Bri-
xiensi prædicti Reuerendiss. D. Secretario. Necnon Petro de ponte, in
decretis Bachalario, Burgensis Dioc. testibus ad præmissa uocatis,
adhibitis, atq; rogatis.

Placuit infine horum statutorum ob memoriam Posterorum: Collegialium nomina, & cognomina: eorum præsertim qui tempore excutionis in collegio aderant subscribere. & illa quidem sigillatim prout quisq; in collegio fuit admissus. Primum itaq; omnium, præerat eo tempore Ioannis Gartia debrignas oppidi debrignas Calagurritane diœcesis, ipsius collegij, & uniuerſitatis artistarum rector. Erant deinde subsequentes collegiales, Ferdinãdus Rodriguez oppidi de Valladolid palatine diœcesis iuris canonici doctor. Petrus martinez Membrilla oppidi dela Membrilla toletane diœcesis sacrae theologiæ doctor. Ioannis martinez oppidi de aguila fonte segouiensis diœcesis. D. Ignatius de cardenas oppidi de madrid toletane diœcesis. I. V. doctor. Antonius Calderõ decelis oppidi de Tama legionensis diœc. Lucas cifontes deheredia oppidi Demedina celi Segũtine diœc. I. V. doctor. Alphonſus lopez de poyatos oppidi de uilla nueua del arcobispo Gienensis diœcesis. Mathæus ribera yuagnez oppidi delespinar Segouiensis diœcesis. Melchior de malburgo ciuitatis detuyauriensis diœc. I. V. doc. Ioãnes de paredes oppidi decarceres Cauriensis diœc. Ioannis dela montagna oppidi de cuellar segouiensis diœc. Michael porras de salazar oppidi de carriõ palentine diœces. Ludouicus campi ciuitatis de Caragoza cæsaragustane diœc. Stephanus zarco demorales oppidi del touoso nullius diœcesis ordinis sancti Iacobi de spatta. Ioãnis lopez de arrechaualetta oppidi de marieta calagurritane diœc. Ioãnis perez cagnuto oppidi dela membrilla toletane diœces. Ioannis lopez berricano oppidi de berricano Calagurritane diœces. Michael dominguez oppidi decarigneya Cæsaragustanæ diœces. Aberãt eo tempore a collegio Michael dela plaza oppidi desotes calagurritane diœces. sacrae theologiæ doc. Ochoa lopez de unzueta oppidi de ibar calagurritane. I. V. doctor. Frãciscus delrincon oppidi de borox toletane diœces iuris canonici doctor.

